119 — IMAGINES ET VITAE IMPERATORUM ROMANORUM. LUGD. BAT., EX OFF. PLANTINIANA APUD CHR. RAPHELENGIUM, 1599. 16MO. MOD. VELLUM. WITH 107 PORTR. (COINS).

Epitome of Goltzius' large work. – (A few spots; some marg. rep.).

IMAGINES ET VITÆ IMPERATORVM ROMANORVM:

Illæ ad vetusta numismata fideliter designatæ; hæ ex probatissimis auctoribus depromtæ.

Addita ad singulas imagines Ausonij & aliorum Elogia Tetrasticha.



Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Bat. Typographum.
CIↃ IↃ IC.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVID *tibi de hoc libello sponderе debeas, beneuole Lector, abundè quidem ipse titulus indicasse videbatur, nisi paucula hæc occurrissent quorum ille non capax, & de quibus præmoneri te oportebat. Imagines igitur ipsæ ad bonæ fidei nummos veteres bona etiam fide quantũ fieri potuit genuinè expressæ sunt: imitatione videlicet maiorum olim ab accuratissimo Goltzio editarum; quarũ hæ velut epitome sunto: nam quæ præter istas hactenus prodierunt, nõ dignæ existimandæ quæ hîc recenseantur; nedum vt eo quo se præferunt nomine cẽseantur. Ad Imperij à Græcis ad Francos translationem substitimus; quòd statim post eam occurrerent, quorum veras*


 effi-

effigies nancisci nō esset. Consultius itaq; visum est in notabili puncto, & velut vltro se offerente separatione desinere, quàm vel cum lacunis, vel cum suppotititiis (quod nonnulli factitarunt) iconibus vlterius progredi. Epigrammata adscripta, Ausonij sunt, quatenus eius extant: cætera à quodam nouiter adtexta, vt facilè ab Ausonianis illico discernentur, ita illorum quæ interiere iacturam magis efficient dolendam. Vitæ depromptæ sunt potissimùm ex politissimi Bapt. Egnatij, aliquando ex Th. Treterij, vel aliorum huiusce materiæ scriptis: atque id eodem iure, quo illi sua ex maiorum monumentis excerpserunt. Vale.

TV REGERE IMPERIO POPVLOS
ROMANE MEMENTO,
(HÆ TIBI ERVNT ARTES) PACIQVE
IMPONERE MOREM,
PARCERE SVBIECTIS, ET DEBEL-
LARE SVPERBOS.

I C. IVLIVS CAES. DICTATOR.

PRIMVS hic perpetuam Dictaturam inuasit. Debellata enim intra decénium Gallia, tentata tunc primum Britannia, & Germanis in siluas, ac paludes suas compulsis, in Italiam descendit: eaq́ue solita celeritate recepta, Hispaniisq́ue pacatis, Pompeiũ Magnum Pharsalico prælio fudit: cumq́ue de omnibus hostibus triumphasset, tandem amicissimorum coniuratione oppressus, periit ætatis anno VI, ac quinquagesimo, dictaturæ verò initæ an. III. Vir pacis, belliq́ue artibus, & in primis clementia longè clarissimus, si libertatis assertor, quàm inuasor esse maluisset.



Imperium, binis fuerat sollennē quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni sola trieteride gestum
Perculit armatæ factio sæua toga.

TRIBVS ac viginti vulneribus interfecto Cæsare, feliciſſimus omnium ad hanc diem ſucceſſit Octauius, ex Actia Cæſaris nepte. Vindicatis enim patris interfectoribus, victorque ciuilibus bellis omnibus, nouiſſimè Antonio ad Actium nauali pugna ſuperato, quo cum duodecim annos Remp. tenuerat, triumphator orbis totius, paciſque reſtitutor æternæ, per quatuor ac XL. annos imperium rexit: vrbemque Romam optimis inſtitutis, ac legibus, magnificentiſſimiſque operibus ſic excoluit, vt meritò Parens Patriæ primus, atque Auguſtus diceretur. Obiit Nolæ ſeptuageſimo ſexto ætatis anno, cũ LVI. imperaſſet. Ad cuius imperij felicitatem illud acceſſit, quòd ſeruator noſter CHRISTVS, iux gentium & orbis, ſub eo naſci voluit: vt quem ſummis animi, corporiſque dotibus principem clariſſimum terris dederat, eodem etiam generis humani parens optimus & maximus naſceretur. Huius felicitas cæteris optata principibus.



Vltor ſucceſſorq́ dehinc Octauius, idem
Cæſar, & Auguſtus nomine nobilior.
Longæua, & nunquam dubiis violata poteſtas,
In terris poſitum credidit eſſe deum.

TRISTISSIMVS omniũ mortalium optimo principi successit Tiberius, Liuiæ vxoris magis impulsu, quàm Augusti iudicio: quippe cuius neque mores, neque ingenium vnquam probasset, pertinaciam & infinitã eius sæuitiam pertæsus Principatum ab initio dissimulato ingenio, & matris reuerentia, non incommodè gessit: mox Capreensi secessu, luxuriæ, ac cædibus vacans, cùm prouinciæ vndique vastarentur, Caligulæ nepotis astu & fraude periit octauo ac septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperij. Huius imperij anno duodeuigesimo Christum seruatorem nostrum Iudæi cruci affixerunt: ex quo ad supremam gentis internitionem nũquam seditione, fame, ferro, peste, laboratũ ab his desitum.



Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuuentæ
Tempora laudato gessit in imperio.
Frustra dehinc solo Caprearũ clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locus.


IIII. C. CAESAR CALIGVLA.

PRAEFVIT hic Reipub. annos quatuor, magis in Germanici patris gratiam, populo ac militibus commendatus, quàm ingenio suo: primus enim à Cæsarum stemmate penitus degenerauit, vt non immeritò fax humani generis dictus sit: certè vox eius nefaria excepta, vnam ceruicem popul. Roman. optantis, quò facilius vno ictu abscindi posset. Cassij Chæreæ & aliorum coniuratione ferro occubuit, annum agens XXVIII. de quo sit dictum, neq meliorem ab initio principem, nec peiorem posteà fuisse.



Poſt hunc caſtrenſis Caligæ cognomine Cæſar
Succeſſit ſæuo ſæuior ingenio :
Cædibus, inceſtisq; dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum qui ſuperauit auum.

NESCIAS, in hoc principe quid primùm accuses: adeò vecordia cum sæuitia ac luxuria certabant: qui fato potius, ac fortunæ ludibrio ad imperium, cùm latitaret extrema pertimescens, interfecto Caligula, venerit: quòd non minore socordia quàm crudelitate per annos XIIII. vexarit. Quanta fuerit eius stultitia, hinc aduertas. Messalina vxor portentosæ libidinis fœmina C. Silio nupserat: qua vix interfecta, Agrippinam Germanici fratris filiam, nouo exemplo nouercam liberis duobus superinduxit: & Britannico filio priuignum Neronem anteposuit: cuius insidiis, & Agrippinæ veneno in boleto dato periit senex, ætatis anno LXIIII.





Claudius irrisa priuato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenij.
Libertina tamen, nuptarũ & crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

FAX


FAX altera totius orbis iure à nobis dicatur, qui ex Domitio atque Agrippina natus, imperij Romani maiestatem paterna maternaque cæde polluit; libidinis adeò effrenatæ, vt matris concubitum appetiisse credatur: ipse certè sumpto flammeo nuptiali sponsalia celebrauit: sæuitiæ tantæ, vt præter vrbis incendium, & vxoris Octauiæ cædem, primus Christianum sanguinem, Petro & Paulo interfectis, hauserit. Et ne quid scelerum deesset; publicè cantauit, in scenaque operam exhibuit. Tandem deficiente Galba, hostis à Senatu iudicatus, nec fortiter perire potuit, adiutus alterius adigendo ferro manu, periit ætatis anno XXXII. imperij XIIII. Quinquennio sub initia omnium princeps optimus existimatus, etiam Traiani testimonio, procul distare cęteros principes à Neronis quinquennio prædicantis.



Æneadum generis qui sextus & ultimus heres,
Polluit & clausit Iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoq; crimina (vitæ.
Disce ex Tranquillo quæ meminisse piget.

VII. SERGIVS GALBA.


NOBILISSIMA Sulpiciorum familia natus, ac per omnes dignitatis gradus ad proconsulatum Hispaniæ euectus, iam grandis natu imperium septimestre, maiore hominum ab initio fauore, quàm læto successu tenuit. Auaritia & sæuitia in eo principe iuxta infames: ex quo inuisus cunctis, cùm Pisonem in conflatæ inuidiæ remedium adoptasset, annos LXX, natus in medio foro à M. Othone iugulatur.





Spem frustrate senex, priuatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior iuueni: sed iustior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

MALE partum principatum adeptus, & aduerſa per omnem ætatem fama, laudabili fine clauſit. Dum enim IIII. vix menſe exacto, Bebriacenſibus campis bellum ciuile contra Vitellij duces exectaretur, papillam pugione ſibi transfixit: adeò militibus carus, vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes ſemet interfecerint. Vixit annos XXXVII.





Æmula polluto gesturus sceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit; qui morte decora
Hoc solum fecit nobile quòd periit.

PVDET tot dedecorum: sed ad institutam seriem pertinet & hunc ipsum referre. Qui patre Lucio Vitellio, & matre longè optima natus, militari factione, dum legatus Germaniæ superiori præest, imperium inuasit, fœdo ingenio, ventrique ac gulæ natus, &, quod vsu in his venit, sęuitia par. Cæterùm Vespasiano principe declarato, cœno, fimoque iactatus, ac furca sub mentum posita, diu per vrbem tractus, in scalis Gemoniis omnium ludibrio diu iacuit. Vita illi annorum LVII. Imperium vix octimestre.



Vitæ sors, mors fœda tibi; nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar. sic sibi fata placent.
Vmbra tamē breuis imperij. quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

FESSAM, atque labantem Rempub. trium principum tyrannide potius, quàm imperio, Flauiæ gentis autor Vespasianus primus restituit. Nam per X. annos, quibus imperium rexit, singulari studio ac prouidentia rem administrauit, & ne Cæsarianum desideraretur nomen, effecit. Hierosolymis expugnatis, cum filio triumphauit. Auaritiam ne culpes in eo, & temporum calamitas, & laudabilis eius vsus facit: adeò inimicitiarum omnium princeps oblitus, vt Vitellij hostis filiam locupletissimè dotatam, splendidissimo iungeret viro: & insolescentem Mutianum, imperiique participem agentem adhibitis familiaribus satis habuerit admonere, se quoque hominem esse. Mors eius quantam animi tranquillitatem secum afferret, ostendit; dum alleuatus inter assidentium manus, stantem ait imperatorem mori decere. Periit anno ætatis vndeseptuagesimo.



Quærendi attentus, moderato commodus vſu,
Auget, nec reprimit Veſpaſianus opes:
Olim qui dubiam priuato in tempore famam,
Par aliis Princeps tranſtulit in melius.

AMOREM, ac delicias humani generis Titum infesta mortalibus numina intra biennium sustulere Huius præcipuam clementiam, ac liberalitatem, virtutesque alias eximias per totum eius principatum magis commendauit & vitæ anteactæ licentia, & sub initia luxuriæ & auaritiæ suspicio, vt Neronis tyrãnidem pleriq. augurarentur. Sed mutatus adepto imperio in melius, declarauit, eiusdem esse ingenij & pessima, & optima interdum ferre. Hic Hierosolymam expugnauit; sagittandi peritissimus, & literis impensè doctus. Vox eius quandoque memorabilis audita: recordatus enim super cœnam, quòd nemini eo die officium contulisset: Amici, inquit, diem perdidi. Huius imperio Vesuuius conflagrauit: incendium Romæ totum triduum, & lues fuit. Periit ætatis anno XLI. in summo omnium mœrore.



Felix imperio , felix breuitate regendi,
Expers ciuilis ſanguinis, orbis amor.
Vnum dixiſti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te.non tibi credidimus.

ECQVIS Titi non doleret interitum? tali præsertim successore, qui per omnia patri, fratrique dissimilis, sæpe etiam viuentibus aut contumax, aut obtrectator, Neroni ac Caligulę propior vixit; dissimulatamque malè sæuitiam per omnes ordines effudit? Quare nihil illi pater, fraterque, aut Cattorum, Germanorumque clades, aut bibliothecarum incensarum restitutio profuit, quin cæde illustrium virorum inuisus omnibus factus, suorum tandem conspiratione post vitæ annum quintum ac quadragesimum, imperij quintum ac decimum, confossus occubuerit, omniaque eius acta rescissa sint.



Hactenus ediderat dominos gens Flauia iustos:
Cur duo quæ dederunt, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt breuia; æternum quæ nocuere dolent.

MELIORE Reipub. fato, quod aurea gibba Domitiano post ceruicem in somnis enata, portẽdit, Cocceius Nerua suscepit imperium, Parthenio id deferente: clarissimis ortus haud dubiè natalibus, vt Dion autor est, & iam senex: qui cùm alias leges, tum ne mares castrarentur, edicto vetuit: summæ ciuilitatis & clementiæ etiam in eos, qui in illum coniurauerant. Vt optimè verò semper de omnibus meritus esse videatur, Traiani præsertim adoptione factum est, quem absentem, dum senectam suam contemni videt, Cæsarem appellauit, Homerico etiam versu ad imperium adhortatus:

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι.

Imperauit anno vno, mensibus IIII. Vixit annos LXVIII.



Proximus extincto moderatur sceptra tyranno
Nerua senex, Princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles. imitatur adoptio prolem,
Quam legisse iuuet, quam genuisse velit.

OPTIMVS omnium Princeps, externorum primus Traianus, adoptione Neruæ imperium meruit; domi sanctus, foris adeò clarus, vt præter Daciam prouinciam factam, victo etiam eorum rege Decebalo, Parthos superarit, superatis regem dederit, Transtigritanas prouincias imperio adiecerit, Armeniam atque Arabiam peruastarit: vt nihil omnino habuerit, in quo culpari meritò possit. Amicitiarum cultor, simplicium ingeniorum, atque eruditissimorum admirator, iuris humani, diuinique cōsultissimus: ipse à literis & Musis haud abhorrens. Huius cineres & ossa in vrbem relata, cochlide columna supposita cũ eius imagine, quæ superstaret foro à se extructo. Quanta fuerit in eo bonitas, acclamationes principibus exhiberi solitæ declarant, cùm Augusti felicitatem, bonitatem Traiani his adprecarentur. Vixit annis LXIIII. imperauit XX.



Aggreditur regimen viridi Traianus in æuo,
Belli laude prior, cetera patris habens.
Hic quoq; prole carens, sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

HIC Italicæ stirpis Ælio Adriano, Traiani consobrino Adriæ orto genitus, Plotina, vt creditur, fauente imperator est factus, ingenio sublimi, vario, literarum omnium peritissimus, sed matheseos in primis: idem architectus, musicus, statuarius, multarum denique artium magis non expers, quàm callens. Doctorum hominum nunc irrisor, & æmulus, nunc fautor, & beneficus. Disciplinæ militaris scientissimus, in qua multa etiam correxit, principibus, qui secuti posteà sunt, ea maximè probantibus; peregrinationis adeò studiosus, vt omnes fermè prouincias pedibus etiam peragrans obierit. Miserabili tandem fato consumtus est, vt in seipsum sæuire potuerit, si per domesticos licuisset. Imperauit annos XX. Vixit LXII. Inuisum eum fecere viri illustres, non pauci sub eius exitum exilio, aut morte multati.



Ælius hinc subijt mediis præsignis in actis.
Principia & finem fama notat grauior.
Orbus & hic, sociatéq; virũ documẽta daturũ,
Adsciti quantum præmineant genitis.

HVIC è Transalpina Gallia paternum genus Nemausense. Pij cognomenti causæ diuersæ traduntur. Illud mihi maximè probabile, vt à morum probitate, affectuque in Adrianum & seruatos eos, quos Adrianus interfici iusserat, id traxerit. Numæ Pompilio maximè similis. Nam per annos treis ac viginti, nullum sub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in eo certarunt: bellum mouere timentibus his aduersus principem, quem vt numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, vt per aliorum damna, cædesque eam appeteret. Nam & à coniuratis vim omnem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inuenti odium augerent: apud Lorios duodecim millibus passuum ab vrbe septuagenarius, cùm M. Antoninum Philosophum adoptasset, obiit febre.



Antoninus abhinc regimen capit. ille vocatu
Consultúque PIVS, *nomen habens meriti.*
Filius huic fato nullus: sed lege suorum
A patria sumsit, qui regeret patriam.


QVAM læta felixque successio optimis, piis, philosophis imperatoribus referendis: vtinam qui sequentur, tales meritò dici possent. Nam hic ea ingenij bonitate, his virtutibus excelluit, vt exemplum desit: & ea temporum calamitas affuit, vt solus ærumnis publicis obstiterit. Nisi enim hic præfuisset, maiestas Romani nominis facilè tunc concidisset, Marcomannis, Quadis, Septentrione omni hinc sæuiente, inde Persis Orientem vastantibus, lue interim, inundationibus fluminum, locustarum vi omnia populantibus: sed victi primum Veri principis (quem, nouo beneuolétiæ genere, & generum & imperij consortem adsciuerat) auspicio Persæ. Marcomannicum mox bellum, Christianorum etiam ope, qui tunc militabant, ex sententia per ipsius principis præsentiam confectum. Ad quod gerendum principalis supellex hastæ subiecta, cùm pecunia in stipendium deesset. Felicissimus certè princeps, nisi hæredem Commodum reliquisset, post annum imperij duodeuigesimum, ætatis quinquagesimumnonum.



Pòst Marco tutela datur, qui ſcita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior.
Succeſſore ſuo, moriens, ſed Principe prauo,
Hoc ſolo patriæ, quòd genuit, nocuit.

XVIII. L. ANNIVS VERVS.

HIC, ſiue à propinquo ſuo M. Aurelio allectus, ſiue cum illo ab Antonino Pio adoptatus, cum ipſo Aurelio Imperij habenas per vndecim annos tenuit. Contra Parthos profectus, Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia patrauit. Seleuciam Aſſyriæ vrbem & quadraginta hoſtium millia cepit. Cum fratre eodemque ſocero triumphauit. Ab vrbe demum Concordia Altinum tendens, in vehiculo apoplexia ictus, obiit, Marcoque Aurelio ſoli Imperium porrò reliquit. Vir ebrioſus, temerarius, ingenij aſperi & laſciui: carminum, maximè tragicorum, ſtudioſus.



Spem



Spem multis virtus, dum nostris cōcidit armis
Persa; metum multis fecerat ebrietas.
Interea vna meæ satis hæc est gloria famæ,
Quòd dignum imperio censuit ipse socer.

ADOLESCENS mortuo in Germania patre, imperator omnium votis est dictus. Et quis filium Antonini reiecisset? ille verò etiam patri non satis probatus, statim Caligulę, ac Neronis simillimus euasit: libidine, auaritia, & crudelitate illis anteferendus. Nam in scena sæpe aurigæ habitu prodiit. Ludis gladiatoriis & dalmaticus præsedit, & in amphiteatro gladiator dimicauit. Athletarum etiam more publice se exercuit. Quæ omnia actis instruenda publicis curauit. Tandem Læto autore, & concubina Martia, post tertiumdecimum imperij annum strangulatur.



Commodus insequitur, pugnis maculosus harena,
Threcidico Princeps bella mouens gladio.
Eliso tandem persoluens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

SVC-

SVCCESSERAT haud dubiè flagitiosissimo principi princeps optimus, si non illum militaris auaritia, fatis in peius omnia trahentibus, intra octogesimumquintum imperij diem de medio sustulisset. Alba Pompeia in Liguribus huic patria, genus humilé, ac sordidum. Virtus atque innocentia summa, militiæ clarus, & in ea ad summas dignitates euectus, vnde & pilæ dictus est ludus. Hic cùm summam de se expectationem omnibus daret, Læti insidiis, qui imperium illi astruxerat, & militari factione, Iuliano, qui successit, non inscio, LXXI. ætatis anno periit.



Helui, iudicio & consulto lecte senatus,
Princeps decretis prodite, non studiis.
Quod doluit malefida cohors, errore probato,
Curia quòd castris cesserat Imperio.

IMPE-

IMPERIVM, quod per scelus necis imperatoriæ conscius, primus etiam licitatus esse dicitur, intra septimum mensem cum vita simul amisit: neque enim militi gratus, ob non integrum donatiuum datum, & populo etiam inuisus ob perfidiam in principem optimum. Quare inter vtriusque odia destitutus, Septimij Seueri iussu, qui imperatorem se appellauerat, damnatorum more necatur; vocesque in illum graues à populo sæpe iactatæ.



Dij bene, quòd spoliis Didius nõ gaudet opimis,
Et citò periuro præmia adempta seni.
Tuq; Seuére pater, titulũ ne horresce nouantis.
Non rapit Imperium vis tua, sed recipit.

XXII. C. PESCENNIVS NIGER.

A nigra ceruice sic appellatus, vir mediocriter eruditus, ab exercitu Syriaco, eo fere tempore quo Seuerus in Illyrico, Imperator salutatus est. Quo nuncio accepto copias quas habere potuit conflauit, circaque Byzantium oram omnem occupauit, vt aduentanti Seuero iter interciperet. Ceterùm exercitus eius ad Cyricum fusus fugatusque est. Exercitu nouo instaurato, & apud sinum Issicum per Seuerum profligato, Niger fuga elapsus, Antiochiam peruenit. In suburbano latitans repertus, capite truncatus est: quod pilo infixum hinc inde circumferebatur. Filij eius cum matre in exilium acti, paulo pòst occisi; omnesque illius amici supplicio affecti fuerunt. Miles fuit optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, domi forisque conspicuus, imperator infelix.



Infelix virtus, & solis prouida verbis,
Fortunam in rebus, cur sequeris dominam?
Dicebat Brutus. sic me quoque cætera fortem
Fortuna extremo tempore deseruit.

XXIII. L. SEPTIMIVS SEVERVS.

AFRICA, illa olim Imperij Romani æmula, hunc genuit Imperatorem magis necessarium, quàm vtilem. Vnde etiam iactatum vulgò, aut nunquam nasci debuisse, aut nunquam mori. Nam & imperium fortiter administrauit: & sublatis in Oriente Pescennio Nigro, in Galliis Clodio Albino, quem & Cæsarem dixerat, Orientem omnem Parthis, Arabibus, Adiabenis deuictis, Romanæ maiestati restituit. Arcus adhuc Romæ, victoriæ monimentum, titulis magnificẽtissimis visitur. Britannos tumultuantes compescuit vallo per XXXII. passuum milia à mari ad mare ducto, vbi etiam duodeuigesimo imperij anno septuagenario maior ex articulari morbo decessit. Bellicis artibus clarus: pacis, nisi sæuitia ac perfidia eas inquinasset, non contemnendus. Cæterùm literarum non ignarus, matheseos peritus: à Latinis nõ abhorrens, nisi Punicum quid redderet. Cædibus illustrium virorum adeò infamis, vt Punicas clades in toga cæsorum ciuium Romanorum sanguine rependerit.

Impiger



Impiger egelido mouet arma seuerus ab Histro,
Vt parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi ; sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, cùm valet ingenium.

XXIIII. D. CLODIVS ALBINVS.

QVANTVM huic res fortiter militiæ gestæ glorię contulerant, quibus Proconsulatum Britanniæ, & , vt nonnulli volunt, etiam Cæsarianum nomen à Commodo meruerat, tantum dedecoris mors Pertinacis peperit, vnus cōſcius fuiſſe cum Iuliano exiſtimatus eſt. Eum Seuerus Conſulem, imò Imperij ſocium in ſpeciem adſciuit, ſeponens ſcilicet in commodiorem deturbandi occaſionem. Victo enim Peſcennio, primùm inſidiis petiit. quibus detectis, aperta demum vi aggreſſus eſt. Multis præuiis velitationibus, tandem ad Lugdunum victus & cæſus Albinus, tertio Imperij ſui anno. Caput Romam miſſum, patibulo affixum eſt: corpus laceratum in profluentem coniectum.



Quàm tu te domino præstas, Albine, fidelem,
Magna seni augusto, perfide, causa necis,
Tam fidum pariter socium experiere seuerum,
Qui vitam & cunctos eripiet titulos.

XXV. P. SEPTIMIVS GETA.

Ex patre Seuero, matre Iulia, Mediolani natus, post Parthicum bellum, Bassiano Principe Imperij appellato, ipse quoq. Caesaris & Antonini nomen accepit. Mortuo patre, insidiis multis à fratre (quòd cum lenitate morum à se discrepantem ferre consortem Imperij Bassianus non posset) petitus est. Tentata frustra aliquoties concordia, & diuisione inter vtrumque Imperij; cùm paratae veneno insidiae non procederent, in cubiculum Getae inopinatò Bassianus irrumpens, eum supra matris pectus crudelissimè interfecit.

Ab-



Ah quàm fraternis gaudes Vrbs cædibus, ex quo
Fraternus tinxit mœnia prima cruor!
Pòst non cessarunt imitari exempla nepotes.
Tandem & ego fratri victima cæsa ruo.

XXVI. M. ANT. BASSIANVS CARACALLA.

VESTIS huic, quam talarem è Galliis aduectam, Romano populo donarat, cognomen addidit. Seuero patri adhuc viuenti contumax, nec minus in fratrem Getam impius, quem patre mortuo statim occiderit: militi tamen gratus, cùm ob ingens donatiuum his datum, tum quòd in castris gregarij penè militis vices ageret. Alexandri Magni admirator, quem collo in læuum humerum detorto reddere cuperet. Hic orbe peragrato, Alexandrinorum dicacitatem vltus ingenti eorum cæde, Persas dolo magis, quàm virtute fudit. Sexto demum imperij anno militum dolo Carris, dum ventris oneri leuando intenderet, interficitur XXX. ætatis anno.



Dissimilis virtute patri, & multo magis illi
Cuius adoptiuo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
In risu populi tu Caracalla magis.

OBSCVRISSIMIS parétibus ortus, Maurusij generis, malis artibus ac pudendis ad præfecturam euectus, à iuris tamen scientia non alienus, sed venali fide; ac vita semper sordida, post interfectum Antoninum, imperium cum Diadumeno filio formosissimo Macrinus inuasit: quod cùm per annum & menses duos obtinuisset, victus ab Heliogabalo cum filio, quinquagenario maior fugiens obtruncatur. Data est dictio consulenti super imperio talis:

Ω γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταὶ,
Σὴ δὲ βίη λέλυται χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.



Principis hic custos, sumtū pro Cæsare ferrum
Vertit in autorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. grauibus pulsare querelis
Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

XXVIII. M. OPEL. ANT. DIADVMENIAN.

Ex Macrino & Numia Celſa natus, occiſo Baſſiano, ab exercitu, cum patre Opelio Macrino Imperator eſt appellatus; atque ipſi vel à patre, vel ab applaudente milite, Antonini nomen inditum. Puer fuit ſpecioſiſſimus. Eum cùm nonnulli ſub necem Macrini patris ſeruare vellent, cubicularius quidam protulit eius epiſtolas, futuræ crudelitatis indices. vnde mors ipſi accelerata.

Aut



Aut amat, aut odit miles, ceu femina: habere
Nil medium, edocti tuq; paterq; tuus.
Quem festis ANTONINVM *paulo anté salutat*
Vocibus, hũc subitò cum patre deinde necat.

XXIX. M. AVR. ANT. VARIVS HELIOGABALVS.

ASSYRIVM (quis credat?) principem nescio maiorìne fortunæ ludibrio, an Romanæ maiestatis sugillatione orbis hunc per duos & amplius annos tulit, & eum incestum, si quidem verum erat Caracallæ filium ex Scenide consobrina natum. Qui ex Oriēte Romam profectus, interfecto (vt dixi) Macrino, tralato etiam inde Heliogabali numine ad Vrbem, in summa omnium expectatione venit: sed illi mox omnia in ludibrium, aut odium conuersa sunt. Nullus enim principum ad hanc diem maiore libidinis flagrauit infamia, vti se in muliebrem sexum exsecari curarit. Nullus maiore luxu opes prodegit imperij: nullus denique contaminatius, aut impurius vixit: omnium religionum contemptor, præter patrij numinis Heliogabali. Hunc tamen in cloacam proiectum, mox in Tiberim cum matre Scenide tractum per milites populus Romanus ita vltus est, vti nomen eius ex publicis monimentis eraderet. Vixit annos XVI.

Tunc



Túne etiam Augustæ ſedis penetralia fœdas,
Antoninorum nomina falſa gerens?
Quo nunq̃ neq; turpe magis, neq; fœdius ullũ
Monſtrum Romano ſedit in Imperio.

MELIORE orbis fato ex Mamæa consobrinus Heliogabalo Alexander iampridem ab impura illa bellua adoptatus in imperium successit, optimis principibus æquandus innocentia, in viros bonos beneuolentia, & (quæ præcipua dos principum) singulari in omnes clementia, vt ἀναίμακτον eius dicatur imperium. Hic expeditione Persica ex animi sentẽtia, victo Xerxe rege, confecta, dum ad Septentrionem vertit arma, Germanis tumultuantibus factione militari tertiodecimo Imperij, vitæ anno vndetrigesimo, Maximini perfidia cum matre in tentorio necatur. Primus post Adrianum principem, qui veræ pietatis lumen acceperit. Nam CHRISTVM in larario suo semper habuit. Quin illa ex sacris literis sententia frequens ei in ore esse: Quod tibi nolis, id in alterum facere caueas. Locum etiam Christianis adiudicauit, quibus popinarij litem intendebant, rescribens Deum multò melius quoquo modo coli, quàm popinariis assignari.



Xerxis Alexandriq; iterum fatalia victus
Sensisti regno nomina, Persa, tuo
Et tu Romane *vt Magno & cognominis heros,*
Sic quoque par fato proditione peris.

XXXI. C. IVLIVS MAXIMINVS.


ALEXANDRO interfecto, succeſſit Maximinus cum filio eiuſdem nominis: Thrax gente,& ſæuitia inſignis: aduerſus quem, cum Senatus Pupienum & Balbinum imperatores declaraſſet, immanitatem hominis, ac barbariem pertæſus: ille ſtatim in Italiam cum Germanico ac Pannonico exercitu deſcendit. Aquileiaque incaſſum obſeſſa, à militibus fame laborantibus cum filio necatur. Imperarunt ambo annos treis. pater ſexagenario maior, filius vigeſimum annum agens obiit.



Barbarus, & nullis clarus natalibus; armis
Gnauus, ab armata ad ſceptra cohorte vocor:
Sed telis melior tractandis, iſta capeſſo
Duriter, & genti congener & generi.

XXXII. C. IVL. VERVS MAXIMVS.

MAXIMINI & Calpurniæ filius, paternæ proceritatis heres, tanta fuit corporis pulcritudine, vt procaciores feminæ ex eo concipere vehementer optauerint. Animo in tantum elato, vt pedes & genua osculari sibi passus sit. Vini parcus, ciborum appetens, maximè ex filuestribus animantibus. Cultu ornatuque corporis mulieres etiam ipsas superare videbatur. Simul cum patre Imperator factus, cum eodem, anno ætatis suæ XVIII. in tentorio dormiens à militibus occisus est, militari ioco cunctis clamantibus, Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum.



Patris solùm odio pereo, dum tollere miles
Festinat, praui ceu catulum generis.
Iam tum terrebam. sic prima ætate peremtum
Quondam etiam à Danais Astyanacta ferunt.

XXXIII. GORDIANVS SENIOR.

DVM Maximinus contra Germanos haud impropere rem gerit, repentè Antoninus Gordianus Africæ Proconsul, ab exercitu Princeps apud Thydri oppidum absens fit. Quò vt accitus peruenit, tanquam ea re creatus foret, seditione excipitur. Ea facilè lenita, Carthaginem petit, & præmia amplum in modum ostentans, Romam legatos & literas destinat. Senatus rem probat, ac Maximinos reip. hostes declarat. Sed insurgente pro Maximinis Mauretaniæ Præside Capelliano, cæsoque pro muris Carthaginis filio Gordiani, pater suspendio vitam sibi ademit, ætatis suæ anno LXXXI. cùm Imperasset menses octodecim. Prodigiorum metu haud inane angebatur, iisque auertendis sæpius intentus esse solebat.

Quin



Quin tu cede malis. stat ineuitabile fatum.
Nequicquam in certo consulis exta metu.
Aduersus decreta Poli Patientia telum
Optimum:at obniti est cōduplicare malum.

XXXIIII. CL. PVPIENVS MAXIMVS.

SENATVS, Maximino iam hoste proclamato, & Gordiano in Africa cæso, Cl. Pupienum & Cæl. Balbinum Cæsares constituit. Qui cùm plebi minus accepti viderentur, Gordianum etiam, Gordiani ex filia nepotem, etsi adhuc puerum simul ad fastigium Imperatorium adlegit. ita vt tres eodem tempore Romæ Augusti essent. Pupienus quidé, quamuis homo nouus, per gradus tamen dignitatis satis illustris, tum grauitate & seueritate venerabilis, vt Catoni compararetur, contra Maximinos copias eduxit; atque ipsius auspiciis cæsi ij sunt. Ceterùm cùm parùm concordi animo cum Balbino rempub. regeret, à militibus vterque in Palatio occiditur.

Dein-



Deiectus de ſede meis Thrax occubat auſis:
Attamen haud longũ Sceptra tenere datur.
Namq; importuna referẽs grauitate Catonem,
Seditione ipſa principe in arce cado.

XXXV. D. CAELIVS BALBINVS.

PVPIENO ſtrenuè contra Maximinos belligerante, Vrbis adminiſtrationem ſuſcepit Balbinus: vir nobilitate familiæ fortuniſque & clementia ſatis cognitus; vt Cæſaris hic, velut Pupienus Catonis, moribus compararetur. Maiores eius ex Hiſpania cum Pompeio Magno venerant, & ciuitate donati fuerant. Horum primus Theophanes Balbus, Romæ appellatus Cornelius, quem Cicero defendit. Tandem autem neque Pupieno feueritas, neque huic clementia profecerunt. Vtrumque milites, anno Imperij ipſorum ſecundo occiderunt, & Gordianum, annos natum tredecim, ſummæ rei præfecerunt, Senatu non abnuente.



Collegæ grauitas, contrà clementia nobis
Obfuit : heu media non facile ire via!
Nempe vbi diſciplina iacet, tam ferre recuſat
Lenes, quàm rigidos Martia turba duces.

XXXVI. GORDIANVS IVNIOR.

OPTIMVM ac nobilissimum principem terris Dij dederant, si diu rebus illum præesse voluissent. Nobilitatem eius auus, paterque imperatores, & Scipionum stemma genti insertum; bonitatem, Romani populi, ac militum, & orbis totius in adolescentem amor attestatur. Sed cùm bellum ingẽs aduersus insolescentes Persas conflasset, iamque Misithei soceri diligẽtia feliciter confecisset, Philippi præfecti dolo, qui socer primò, mox Princeps, interficitur. Haud tamen inulta mors optimi Principis fuit: omnes qui in illum coniurauerant, crudelibus suppliciis affecti, & Philippi non diu Imperium tenuere. Vixit annos XXII, imperauit sex.



Deiectis ſolio ſociis Auguſtus & olim
Regni ius ſoli ſumſerat omne ſibi.
ic & ſolus ego, conſorti vtrique ſuperſtes,
Regno; ſed vt longum triſtia fata vetant.

XXXVII. M. IVLIVS PHILIPPVS.

DVOBVS principibus, audita Gordiani mor te, à Senatu creatis, Marco primùm, mo: eo breui absumpto, Seuero Hostiliano, qui & ipse non diu superuixit, Philippus imperium oc cupat: nec ei gentis humilitas obstare potuit quo minus imperaret. Nam per omnes militi: gradus ob virtutem euectus, tandem præfectus Gordiano in Misithei locũ factus, optimo ado lescenti insidias comparauit: eoque per dolur cæso, imperator ab exercitu dictus, Romar cùm venisset, filium Philippum imperij partici pem declarauit. Ipse post quintum imperij an num Veronæ medio capite supra ordines den tium præciso, filius duodenarius Romæ neca tur: Sub his seculares ludi magnificentissim millesimo ab V. C. anno dati. Sunt qui à Chr stiana pietate non abhorruisse Philippum tra dant: quorum testimonio hominis perfidia fi dem abroget.

Millenc



Millenos ſteterat victrix iam Roma per annos,
Cæſareo tumidus dum ſedeo in ſolio.
Natalem magno celebraui feſtus honore.
Hoc bene fortaſſis fecero; nil aliud.

XXXVIII. M. IVL. PHILIPPVS F.

MVTATO C. Iulij Saturnini nomine in M. Iul. Philippi, à patre ſtatim ab initio imperij ipſius Cæſar factus eſt. & vt regni ſocius, ſic etiam poſtea mortis fuit, annum agens vitæ duodecimum. Adeò ille ſeueri & triſtis animi, vt iam tum à quinquenni ætate, nullo prorſus cuiuſquam commento ad ridendum ſolui potuerit; patremque ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, quanquam adhuc tener, vultu notauerit auerſato. Sunt qui hoc pij adfectus indicium fuiſſe cenſeant; vt quem Chriſtianæ fidei ex animo iam tum addictum tradant.




Perpetua grauitate puer morose, nec vllis
Toruior ad risum pelliciende iocis,
Non rursus fortuna diu tibi prospera risit:
Sic à te partim es, partim aliunde miser.

XXXIX. C. MESSIVS Q. DECIVS TRAIANVS.

INVITVM, ac pene reluctantem Philippi socordia hunc imperio præfecit; haud dubiè tamen nobilissimis parentibus Bubaliæ inferioris Pannoniæ vrbe natum. Nam Philippus nunciata Marini ducis, & Mœsici exercitus rebellione, cùm Decium ad comprimendos eos motus mitteret, recusauit primò Decius: mox etiam admonuit, non esse ex Philippi re, vt ipse eò contenderet. Cæterùm fatis rem ita trahentibus, vt primùm prouinciam attigit, imperator omnium cõsensu dicitur: & interfectis (vt dixi) Philippis, cùm aduersus Gotthos cum filio audacius, quàm consultius pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab his est, corpusque paludis voragine absorptum nusquam inuentum. Hic carissimus Senatui fuit. Et qui à nobis etiam inter optimos principes adnumerari posset, si iniuriam à Christiana pietate abstinuisset: in quam plus nimio Philippi etiam odio sæuiit: Fabiano, ac Cornelio Pontificibus Romanis martyrio affectis. Vixit tamen annos L. imperauerunt vterque biennium.

Deus



Deuotos iterum Decios, animosáque cerne
Pectora, pro patriæ promta salute mori.
Infelix virtus! Traiani Principis icon,
Sic bello, aut potius proditione, peris?

XL. Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS C. F.

A Patre ad Imperij adminiſtrationem, vrgente id vehementer Senatu, ceu collega, aſſumtus, ab eoque Cæſar appellatus, aduerſus Gothos in Pannoniam, vnà cum patre profectus eſt. Prælio infeliciter commiſſo, exercituque Romano partim cæſo, partim fugato, ipſe in conflictu iaculo transfixus, primus Cæſarum hoſtili manu percuſſus, interiit, Imperij, quod cum patre adminiſtrare ceperat, nondum biennio completo, Romanis non minus interitum duorum Principum, quam cladem exercitus dolenter admodum ferentibus.



Alter ego Lauſus, ſed enim meliore parente,
Patri aior mortem morte tuliſſe mea:
Dum, ſiue ulturus, medios procurrit in hoſtes,
Siue quòd haud nato vult ſupereſſe ſuo.

XLI. C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS.

PATRITIORVM familia ortus, Mœsi præses à Decio constitutus, ab ea legione Romanorum quæ integra post cladem in Pannon à Gothis editam remanserat, Imperator, ta quam seruator reliquiarum Rom. exercitus, el ctus fuit. A senatu Augustus appellatus, fœd cum Gothis turpissimum percussit, primus p cem ab eis mercatus drachmis aureis ducent Qui cùm se formidini esse intellexissent, rup fœdere varias prouincias infestarunt. Gall Romæ agens, & in Christianos sæuiens, C. Vol sianum filium consortem Imperij fecit. Ceterù Æmiliano ab exercitu Imperatore salutato, d serentibus eum militibus suis, ætatis an. XLVI cum filio interemtus est: cùm regnassent ann II. menses VIII.

Eg



Egregios rerum dominos! ten' annua deinceps
Autore ut ſoluat Roma tributa Gothis?
Ex illo incipiens retro ſublapſa referri
Res Romana omni eſt expoſita opprobrio.

XLII. C. VIBIVS VOLVSIANVS.

A Patre Gallo in Imperij consortem assumtus, contra Æmilianum, qui ab exercitu ob rem præclarè contra Gothos actam, Imperator electus fuerat, paternæ suæque dignitatis tuendæ causa, vnà cum Gallo expeditionem suscepit. Conflictu prope Interamnam in Vmbria habito, à militibus planè derelictus, vnà cum patre interfectus est. Sola pestilentia & morbis atque ægritudinibus notus horum principatus fuit. Fauor inde eis quæsitus, quòd anxiè studioséq tenuissimi cuiusque exsequias curarent.

Du



Dum conductitio ceu iure tenetis habenas
Infami exemplo tuq; patérque tuus,
Lurida se terras pestis diffudit in omnes.
Credo auersatos fœda tributa deos.

XLIII. ÆMILIVS ÆMILIANVS.

TRIMESTREM & hunc imperatoren Mauritania nobis dedit; virum (quod fatendum est) militiæ peritum, sed ignobilem: qui victis ad internecionem penè Gotthis, astu etiam adhibito, cùm omnem prædam militi promisisset, Imperator ab exercitu dicitur. Mox Valeriano ab Alpino exercitu Imperatore nobilissimo ac Censorio viro creato, qui Æmiliano fauerant, ne ciuili bello Remp. conflictarent, Æmilianum necant, soloque ducis capite res peracta est, anno ætatis eius XL.

Forsitan



Forſitan illuſtres à magno nomine, Lector,
Expectas actus Æmiliúmque decus.
Nequicquã. ſed enim ſplendorem nominis alti,
Factáque deſtituunt, deſtituítque genus.

XLIIII. P. LICINIVS VALERIANVS.

NVLLVM Principem maiore vnquam fauore orbis accepit: nullus eo calamitosior ad hanc diem imperio præfuit: vel quòd à Sapore Persarum rege victus acie, siue dolo suorum, siue eius imprudentia id acciderit, nam vtrunque traditur, miserabili captiuitate apud eos consenuit: vel quòd Gallienum filium, post se reliquit, qui Caligulæ, ac Vitelliis similimus, orbem terrarum penè perdidit: externis hostibus adeò nobis insultantibus, vt fœminæ imperium in Gallieni contemtum occuparint. Triginta certè tyranni nescio Rempub. magis afflixerint, an aduersus hostes nostros necessarij tutati sint: qui per ea tempora in pronum rem imperij labentem per Gallieni luxum, sustinerent. Vixit Valerianus septuagenario maior, imperauit annos XV. Vir ante imperium summis honoribus functus, & in his cum summa laude, ac virtutis opinione versatus.

Aspicitc



Adſpicite exemplum quos Fors euexit ad alta,
Inſtabili nullum fidere poſſe deæ.
Nec bona me potuit magis altũ extollere: rurſus
Nec mala me potuit deprimere inferius.

XLV. P. LICINIVS GALLIENVS.

AD Valeriani calamitatem accessit Gallieni filij Imperium : qui nequissimus omnium mortalium, adeò per luxum ac socordiam imperium afflixit, vt per totum terrarum orbem grauissima externa bella senserimus. Et nisi in Galliis Occidentem A. posthumius, & Orientem in Syria Odenatus Palmirenus defendissent, imperium Rom. insurgentes vbique hostes perdidissent. Is Gallienus, cùm aduersus Aureolum comparato exercitu Mediolanum vsque contendisset, Aureoli commēto iam penè victi, certè intra Mediolanum obsessi, interficitur quinquagenarius. Imperauit annis XV. cum patre septē, solus octo. Affuit huic principi (quod mireris) animi quandoque vigor, & ad se vlciscendum audacia : nec minus in eo liberalitatis effulsit, cùm nihil vnquam petenti denegaret.

Dum



Dum malè me luxu perdo, perdenda vicissim
Hostili insultu maxima regna patent.
Omnia corruerãt: nisi inerti aliena ministrans
Virtus, collapsam rem mihi restituat.

XLVI. SALONINVS VALERIANVS.

LICINII Gallieni & Saloninæ filius, vel ab ea, vel quòd apud Solouas natus esset, Saloninus vocatus; à patre in locum Cornelij Valeriani, filij sui, in iuuenta mortui, subrogatus est. Nihil memorabile de illo scribitur, vt qui puer decennalis à Gallis non tam sua, quàm patris causa, interemptus fuerit.



Seruit auus Persæ; à variis pater hostibus,
In variis miserè dilaceratur iners. (orísq;
Quid tibi tot speres puer infelicibus orte
Auspiciis? felix mors tibi sola datur.

XLVII. M. CASSIVS LATIENVS POSTVMVS.

VIR Romanus, in omni vita adeò grauis, vt Gallienus filium suum ei instituendum tradiderit. Quotquot suo tempore Tyranni Romanum Imperium affectabant, omnes virtute reique militaris peritia facilè superauit. Cùm Gallienus luxui popinisque deditus, abiectus contemptusque ab omnibus haberetur, hic à Gallis cum omni exercitu, Imperator electus, præclarè se in eo munere gessit. Gallia prouincia instaurata, &, exactis Germanis, securitati pristinæ restituta, cùm in ea decem annis regnasset, Lolliani bello excipitur. quo non minus feliciter fuso, suorum tumultu periit; quòd flagitantibus Moguntiacorum direptionem, quia Lollianum iuuerant, abnuisset.

Ca



Gallica seiungis Romano à corpore regna,
Romani interea Principis at titulo.
Pòst Moguntiacum dum vis subducere prædæ,
Ipsus militibus fis malè præda tuis.

OSTENDERVNT & hunc terris numina verius, quàm cõcessere. Quippe cuius principatu restitui ad integrum res potuerit, nisi intra biennium fato occubuisset. Is enim à militibus electus, à Senatu Augustus appellatus, Gotthorum arma latè vagantia primus compescuit: naualibusque, ac terrestribus bellis eorum opes attriuit, vt per omnes prouincias nulla, nisi Gotthica mancipia essent. Alemanorum ad Benacum lacum infinita millia profligauit. Illud memorabile, quod Græciæ vastitate, quam Gotthorum arma intulerant, Athenis captis, cùm librorum ingentem vim coaceruassent, de his comburendis Barbari iam consilium ceperant: tum vnus ex his, Abstineamus, inquit, hanc iniuriam ab his codicibus, quibus Graij homines dum studiosius incumbunt, minus ad bella idonei fiunt. Illud etiam in Claudio memorabile, quòd accepto imperio, cùm in Senatu variarent sententiæ, vtri prius bello occurreret, tyrannorum, an Gotthorum: Gotthos censuit prius aggrediendos: quòd hi Reipub. hostes, tyranni Principis essent. Præfuit biennio non integro. Digitis adeò fortibus fuisse scribitur, vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit.



Quidam mercati à castris venalibus auro,
Quidam indepti ipsis Imperium vitiis.
Claudius at sola belli virtute togaq́;
Obtinuit sceptrum à milite Cesareum.

CLAVDII hic frater, post eum, consensu militum Imperator electus est: vir vnicæ moderationis & ciuilitatis, æquandus fratri vel præponendus. Cùm dies septem ac decem Imperium fauente Senatu tenuisset, Aureliani Imperatoris electi nuncio exterritus, sanguine è venis emisso, obiit.



Nec veneranda mei fratris protexit imago,
Nec mea me probitas, nec fauor ipse Patrum.
Cedo vltrò: breuis Imperij solamen id vnum
Laturus, famam me meruisse Boni.

HVNC inter Principes necessarios magis, quàm bonos multi reponunt. Nam quantum illi gloriæ triumphi hostiles, & militaris peritia vendicat, tantum sæuitia domi etiam in sororis filium exercita laudis detrahit. Princeps tamen dignus, qui Claudij etiam prærogatiua Rempub. ea temporum calamitate susciperet. Barbaros enim in terra Italia vagantes, triplici prælio afflixit. Monetariorum bellum non sine ingenti cæde sedauit. Zenobiam insolescentem duplici prælio victam, & per obsidionis moras tandem fractam, in triumphum duxit. Aureolum, & tyrannorum non paucos aut interfecit, aut sibi conciliavit, Tetrico vno ex his etiam Lucaniæ correctore instituto. Imperauit annis v. Domesticorum fraude inter Byzantium, & Heracleam oppressus.



Reginam frustra optaras, Augusti, triumpho:
Elusit propria te generosa nece.
Sors nobis melior, pars spectatissima pompæ
Ducta ante est currus femina victa meos,

INTERREGNVM per septem menses Aureliano interfecto fuit: cùm miles ad Senatum, Senatus ad militem prærogatiuam Imperatoris deferret eligendi: tandem patres militari consensu victi, Tacitum Augustum dixere: ex quo tantum publicè gaudium fuit, vt literas Senatus ad municipia Italiæ super ea re dederit. Quam verò amplissimi ordinis iudicium à militari tumultu distet, Taciti declaratio ostendit: cùm in curia testati sunt neminem aut iustiùs, quàm grauem virum, aut prudentiùs, quàm doctum imperare posse. Verùm hic tantus vir sexto, quàm imperare cœperat mense, militari scelere, in Ponto periit.



Non tam Cæsarei decorant me insignia sceptri,
Traxisse à magno quàm genus Historico,
Consignata adeò doctis Prudentia scriptis,
Sufficit ad famam tum sibi, tum generi.

Hic

LII. M. AN. FLORIANVS.

HIC Taciti frater, quasi hæreditarium imperium esset, intra LX. Imperij diem, tanquam ad fortunæ ludibrium, solutis sibi venis ad Probi imperantis nuncium obiit.



Fratri te frustra heredem miser ingeris vltro,
Subnixus nullis debilis auxiliis. (ipsum
Fortunæ hinc lusus, leuiter quod sumis, id
Cum vita leuiter deseris Imperium.

NON

NON fefellit omen nominis, vt si non ill fuisset Probi nomen, cognomento hoc ap pellari potuerit. huic nec Taciti frater obstitit quò minus orbis totius consensu Imperator di ceretur, nec generis humilitas, cùm patrem Dal matici sanguinis, & eum agrestem habuerit. Vi pacis, bellique artibus longè clarissimus. huic pe sex annos, quibus imperauit, victi Sarmatæ de bentur: Tyranni per hunc omnes sublati: pa vniuerso terrarum orbi restituta. Vineas Gallo & Pannonios habere permisit. Celebris vox eiu excepta inuidiam peperit apud milites: nequ enim necessarios amplius dicebat fore milite vbi hostes deessent: quos nusquam virtute su futuros, mox sibi promittebat.



ic ille eſt, cuius gemmant tibi munere vites,
Gallia; cui libes cùm tua vina bibis.
erè dat pacem, bellis Probus orbe fugatis,
Qui tribuit curis ſoluere corda mero.

LIIII. M. AVR. CARVS.

NARBONAE genitus, vel, vt aliis plac[i] Romæ, ibique in literis educatus, per mi[li]tares gradus aſcendens à Probo Præfectus Pr[æ]torio, eo interfecto, Imperator à militibus cre[a]tus eſt. Inito Principatu, in percuſſores Probi [ſe]uetiſſimè animaduertit. Liberis ſuis, Carino [&] Numeriano, Cæſaribus nuncupatis, bello Per[ſi]co, quod Probus ſuſceperat, continuando inte[n]tus (cùm Sarmaticum iam in Pannonia con[fe]ciſſet, & ſedecim barbarorum millia deleuiſſ[et,] viginti cepiſſet) recepta Meſopotamia. Cte[ſi]phontem peruenit. Perſas inter ſe domeſtica [ſe]ditione laborantes reperit. Caſtris ſuper Tyg[ri]dem poſitis, in maxima rei bene gerendæ exp[e]ctatione, ictu fulminis interiit; cùm anno v[no] & aliquot, menſibus Imperium adminiſtraſſ[et].

Om[...]



Omne meis regnum deberi Persidos armis,
Prospera spem magnā principia obtulerant.
Fata obstant, adeoq; ostendo, fulmine tactus,
Quàm nihil inuitis fas sit habere diis.

LV. M. AVR. ROMVLVS NVMERIANVS.

CARI Imp. filius, Poëta & Orator celeberrimus, statua in Bibliotheca Vlpiana ex S. C. decoratus, comes patris in bello Persico fuit. Patre è viuis miserabili casu sublato, in tantum mœrorem luctumque incidit, vt oculis propter lacrymarum vim penè amissis, cum Romam ex Asia victor rediret, lectica eum deferri oportuerit. In ea sedentem, clàm Aper eius socer, Imperij consequẽdi spe adductus, interfecit: nec prius quàm cadaueris fœtore scelus detectum fuit: quod Diocletianus, irruens in Aprum, eumque confodiens, egregiè vltus est. Fuit Numerianus frugi iuuenis, ingenioq. ad omnem modestiam composito. Imperauit Numerianus cum patre & fratre, annum vnum & aliquot menses.

Cu



ui dederant vni, bellandi Marſpiter artem,
Eloquium Pallas, doctus Apollo lyram;
pſe mea vindex, fœtente cadauere, mortis,
Et ſcelus, & vafras ſpes retego ſoceri.

LVI. CARINVS.

ALTER Cari Imp. filius, à patre contra Persas proficiſcente, cùm totum ferè Occidentem in adminiſtrationem ſuſcepiſſet, tam enormibus vitiis, ingentiq́ue fœditate ſe contaminauit, vt pater turpitudine ſcelerum eius audita non eſſe ſuum filium proclamauerit; & ſi ſuperuixiſſet, nomine Cæſaris illi abrogato, in eiu locum Conſtantium ſubrogare cogitauerit. Poſt patris & fratris interitum, etiam liberius inſaniit. Vxores ducendo & reiiciendo, nouem habuit: prægnantes expulit. Mimis, meretricibus lenonibus, & id genus hominum monſtris Palatium impleuit. Matrimonia nobilium corrupit. Quare & eius præcipuè Tribuni dextera cuius dicebatur coniugem polluiſſe, trucidatu eſt: poſteaquam cum patre & fratre ſolusq́u duobus annis Imperio præfuiſſet. Alij malunt vltima pugna contra Diocletianum ad Murcium commiſſa, occubuiſſe.



Virtutum ornarant quod donis Numina fra-
Tot contrà infamis iste scatet vitiis. (trem,
Tu bene, magnanimo Imperij qui dedecus ausu
Interimis, lecti dedecus atque tui.

Is Salonis ortus, libertini etiam sanguinis cùm molem imperij grauiorem animaduerteret, quàm vt vnus esse vniuersæ par posset Maximianum Augustum creat: amboque duo sibi Cæsares, Galerium, Armentarium cognomine, & Constantium Constantini Magni patrem dicunt. Sicque singulis diuersis partibus aduigilantibus, pacato orbe post annorum imperium xx. Diocletianus Nicomediæ, Maximinianus Mediolani imperium eodem die deposuere. Diocletianus certe constantius in proposito mansit Nam per decem annos quot priuatus Saloni superfuit, hortorum amœnitati vacans, iterum ad imperium solicitatus, à priuata vita abduci non potuit, testatus nullos sibi vnquam soles lætiores affulsisse. Obiit autem duodeoctoginta natus annos, vel alienatione mentis, vel veneno hausto, veritus Licinium, ac Constantium qui illum tanquam Maxentij fautorem grauiter increpuerant. Princeps sanè optimis æquandus, si à piorum sanguine abstinuisset.



Induperatorum nomen gesſere priores,
Reuera propriÿ mancipia ingeniÿ,
Aſt ego magnanimè imperiÿ cũ ſceptra reliqui,
Oſtendi, imperium me tenuiſſe mei.

PANNONIAE Syrmio, vbi pater eius opera exercuit mercenaria, oriundus, à Diocletiano consors Imperij adscitus, probè in omnibus ei obtemperauit: vir alioquin ferus, stolidus. Tumultus in Galliis mira celeritate compressit. in Africa Gentianos deuicit. Bellis nouis insurgentibus, iste Constantium Chlorum, Diocletianus verò Galerium Cæsares fecerunt, & præter adoptionem, etiam affinitate iunxerunt. Rebus vndique compositis, post annorum XX. Imperium, cùm vir cruentissimus Christianos multos impiè trucidasset, Principatum Mediolani, vt Diocletianus Nicomeniæ, deposuit. cuius eum rei paulo pòst pœnituit. Nam audiens filium suum Maxentium à Prætorianis Imperatorem electum, è Lucania, in qua sedem priuatus elegerat, spe resumédi Imperij, ad Vrbem se contulit, simulans filio fore auxilio. Tumultu militari excitato excessit. In Gallias profectus, genero Constantino insidias parauit, vt eum Imperio quod istic obtinebat, deturbaret. Sed per Faustam vxorem, quæ patri maritum prætulit, detecta sunt. Dum Constantinus apud Massiliam obsessum viuum cepit, & fractis laqueo ceruicibus occidi iussit, anno ætatis sexagesimo.



Aut nunquă mihi summa fuit ponenda pote-
Aut posita illa semel nõ repetẽda fuit. (stas,
Hoc nisi peccassem, collega cetera compar,
Fortè etiam fama & morte futurus eram.

LIX. CONSTANTIVS CHLORVS.

Ex patre Eutropio nobili Romano, matre Claudia, Claudij Aug. filia genitus, propter spectatam virtutem à Maximiano & Diocletiano, vnà cum Galerio Cæsar creatus fuit. Ceterùm cùm illi sponte Imperio renuntiassent, cum Galerio prouinciarum administrandarum curam partitus licet ei Galliæ, Hispaniæ, Italiæque cum tota Africa obtigisset, cùm se vnum tanto oneri ferendo imparem videret, Galliarum tantùm administrationem suscepit. Eam, Germanis Francisque profligatis, bonis legibus optimisq. institutis rexit. Britanniam subiugauit. Princeps benignus ac facilis. Diuitiarum spretor, & paucis contentus, fictilibus vasis vtebatur; argentea, vt abacum exornaret, ab amicis interdum mutuò accipiebat. Anno Imperij XIII. Eboraci in Britannia morbo consumtus occubuit, relictis liberis, ex Helena Constantino Magno, ex Theodora verò Maximiani priuigna, Anaballiano, Constantio patre Iuliani, ac Constantia Licinij Imp. vxore.

Ficti-



Fictilibus mihi posse vti moderatio suasit;
Pauperies priscos dura coëgit auos
Hoc mea laus maior, quòd cùm mihi cuncta licerent,
Quàm minimum volui collubuisse tamen.

LX. GALERIVS MAXIMIANVS.

IN Dacia Ripensi parentibus agrariis ortus, ex pastore ouium, vnde cognomen Armentarij traxerat, miles adeò strenuus euaserat, vt à Diocletiano adoptatus & Cæsar factus sit. Ad Orientem pacandum, contra Narseum profectus, primùm infeliciter, deinde prosperè pugnauit. Augustus factus, Seuerum & Maximinum Cæsares adoptauit: Seuero mortuo, Licinium ei successorem dedit. Romam contra Maxentium cùm mouisset, defectione militum cognita, in Illyriam rediit. Homo sanguinarius, & Christianorum persecutor crudelissimus, simulacrorum cultui deditissimus, deliciis & luxu diffluens; rei militaris gloria alioquin illustris. Vlcere ipsi inguinibus innato, virilia exedente, vermibus vndique erumpentibus, vitæ tædio vim sibi gladio intulit.



Illuuie exeſis membris genitalibus, vltro
Me lenta impauidus eximo morte breui.
Id multi culpare, alij laudare. Catonis
De facto dubium ſic quoque iudicium eſt.


MAGIS feueritate,quam exercuit in Christianos,quàm generis nobilitate,aut rerum bene gestarum gloria notus,à Galerio vnà cum Maximino Cæsar dictus, Africæ Italiæque præfuit. Interea in Vrbe Prætoriani Maxentium, Herculij filium, per seditionem Imperatorem crearũt. Contra eum Seuerus cum exercitu profectus,Romam cinxit obsidione. Sed à militibus paulo pòst desertus, in Illyricum fugere coactus est. Rauennæ demum captus, à militibus quos ipsum insequuturos Maxentius miserat, miserè interfectus est, anno Imperij secundo.



Obsessam nostro sperabam milite Romam
Iam iam venturam supplicẽ ad obsequium.
Sed fideiq; speiq; nimis confisus inani,
Deseror, & fœdè proditus intereo.

AB auunculo Galerio vnà cùm Seuero adoptatus, Cæsar quadriénio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit. Cùm esset ortu atq. instituto pastorali, animo tamen & moribus nihil agreste præ se tulit, amator literarum & sapientiæ, ingenio miti & quieto. Vini tamen auidior; quo inflammatus iubebat quædam asperius: & cùm eum sæpius facti pœniteret; deinceps in sobrium matutinumque tempus omnia differebat. In Oriente contra Christianos maximè deseuiit. Cùm aduersus Licinium, res nouas moliretur, rupto fœdere, cum filiis, quos iam socios Imperij assumserat, oppressus est exercitu partim deleto, partim fugato. Ipse, abiectis Imperij insignibus, fugitiuus se turbis colonorum immiscens, in agris latuit, & ne viuus caperetur, se strangulauit Tarsi.

Ciuil



Ciuilis vita, quantumuis ruſticus ortu,
Tantùm Chriſticolis acrior hoſtis erat.
Hoc pulcrum, quòd cùm paulo vinoſior eſſet,
Vix aliquod tamen haud ſobrius egit opus.

FILIVS, seu suppositititius, Herculij, à Prætorianis, non inuito Senatu, Imperator creatus, Seuerum occidit, & Galerium etiam Italia exegit. Vir crudelis, magicæ arti deditissimus, in libidinem effrenis. Carthaginem & Africæ pulcriora, quòd illi obstitissent, vastari, diripi, incendique iussit. Sed atrocior indies, odio haberi ceptus est. Quamobrem Constantinus clanculum à quibusdam euocatus, contra tyrannum Romam venit. Maxentius millia ferme nouem ab vrbe progressus, dum cæsa acie fugiens se reciperet, insidiis quas hosti apud põtem Miluium locauerat, in transgressu Tyberis interceptus est, tyrannidis anno sexto.



Post deuastatas celsæ Carthaginis arces,
Post facta imperio multa nefanda meo,
Romanæ tandem haud procul ipse à mœnibus
Quas alij posui corruo in insidias. Forbis

LXIIII. M. IVL. LICINIVS.

LICINIO Dacia natale solum fuit, in Seueri demortui locum à Galerio allectus, consortem Maximinum Imperio exturbauit. Militaris disciplinæ ad veterem normam seuerissimus exactor. Rusticis & agrariis hominibus (ex eo enim genere fluxerat,) æquus: auaritiæ & Veneris studio infamis, moribus planè barbaris: & literis adeò infestus, vt virus ac pestem publicam eas appellaret. sed cur eas non odisset, quarum adeò expers erat, vt ne decretis quidē subscribere posset? Illud in eo non reprehendas, quòd spadonum, aulicorumque insolentiam mirè compescuit, tineas, soricesque palatinos appellans. Hunc Constantinus nouas res molientem, primùm in Pannoniæ campis fudit: mox reparantem vires incredibili celeritate ex Europa in Asiam expulit: maleque reconciliata iterum gratia per Constantini sororem Constantiam, quæ illi vxor erat: cùm rebelles animos homo vecors retineret, etiam contra sacramenti fidem Thessalonici interfici iussus est. Imperauit annos XIIII. sexagenario maior, Christianis infestissimus. Vnde illi discordiarum semina aduersus Constantinum acriora.

A so.



A socio terraq; mariq;, Antonius alter,
Vincor, & Imperij hinc exuor omne decus.
Quin iam priuatus, cõtra data fœdera dextræ
Occidor. Regni rara fides sociis.

MARTINIANVS.

OFFICIORVM antea magister, obscuri nominis homo, à Licinio Constantinum fugiente, Byzantiumque perueniente, Cæsar creatus, & dignitatem & vitam breui amisit. Nam cum Licinio Thessalonicæ captus, vnà cum eo, iussu Constantini, à militibus interfectus est.



Cara nimis, cũ vitâ emitur ſuprema poteſtas,
Vel ſi etiam longi temporis illa datur.
Aſt ego Cæſarij tantùm pro nominis vmbra
Infelix vitæ perſoluï precium.

LXVI. M. FL. CONSTANTINVS MAGNVS.

Ex Helena Constantij vxore susceptus, & cæteris fratribus ob egregiam indolem, cùm illi segnitiem præ se ferrent, patris etiam testamento prælatus, mortuo eo Gallias, Hispaniasque, & Cottias Alpes obtinuit. Tertio Imperij anno accersitus in Italiam ab iis, qui Maxentij tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam, vrbemque Romam pristinæ maiestati asseruit, Maxētio Tyberinis gurgitibus absorpto. Inde abnegato idolorum cultu, Christianam puritatem ita amplexus est, vt præter egregia dona diuorum nostrorum templis illata, CHRISTVM ab omnibus colendum præceperit, templaque illi, & aliis numinibus erexerit. Bella contra Barbaros multa felicissimè confecit: vnde primus Romanorum principum Magni cognomentum tulit. Byzantium instaurauit, imperatoriamque vrbem & nouam Romam appellari voluit. Moriens & Constantinopoli sepultus, treis liberos, & Dalmatium fratris filium successores reliquit, XXX. & amplius annos imperans, tredecim verò ex his solus. De eo sic memoriæ proditum, decem primos annos vt præstantissimus diceretur, XII. sequentibus latro, decem nouissimis pupillus ob immodicas largitiones.



Omnes hic istâ sub imagine cerne tyrannos,
Christi ni cuncta hæc eluat vna Fides.
Quid plura? is verè est feliciter impius vno
Audire Heroëm cui datur à merito,

LXVII. IVLIVS CRISPVS.

CONSTANTINI Magni ex Mineruina filius, à patre Cæsar appellatus, ea fuit corporis pulcritudine venustateque præditus, vt eius amore Fausta Constantini vxor vehementer inflammata, sæpius eum ad libidinem sollicitauerit. Cui cùm ille assentiri nollet, Fausta amorem in odium commutans, eum tanquam pudicitiam suam expugnare volentem, ad maritum detulit. Constantinus fidem vxori adhibens, Crispum ad Polam Histriæ opidum interfici iussit. Ceterùm vbi innocentiam filij & vxoris fraudem cognouit, hanc, Helenæ matris instinctu, quæ nepotis mortem innoxiam grauiter admodum ferebat, in ardens balneum iniici mandauit.

Ex-



Extinxit iuuenem furor & fraus dira nouercæ,
Hippolytum, rigidi credulitásque patris.
Rides? & ratum figmenta poëtica censes?
Hîc verum, Lector, conspicis Hippolytum.

CON-

LXVIII. CONSTANTIN. MAGNI F.

CONSTANTINI filij Imperium, quod per manus à patre acceperunt, ita partiti sunt, vt Constantinus maximus natu Gallias, Hispanias, Britanniamque Insulam obtineret, Constanti Italia cum Illyrico, & Græcia cederet, Byzantium & Oriens Constantij esset, qui Dalmatium socium Imperij haberet: quem haud multò pòst dolo exceptum militari factione oppressit, cùm annos treis Imperasset. Nec durauit diu fratrum concordia: siquidem in nefarium bellum rapti fratres: nam Constantinus Gallico exercitu fretus, Constanti fratri bellum intulit, quod dū cupidius, quàm cautius gerit, ad Aquileiam exceptus insidiis nondum triennio finito, vulneribus confectus periit.

Fra-



Fraternis inhians regnis per fasq; nefasq;
Et vita & regno decidit ipse suo.
Sic pereat quisquis iniustè aliena requirens,
Contentus propriis nesciat esse bonis.

FRATRIS hic victor, cùm non sine labore prouincias transalpinas in potestatem redegisset, egit primùm optimum principem: mox aduersa valetudine, siue rerum felicitate mutatus, ingratus omnibus esse cœpit. Donec & ipse Magnentij dolo dormiens intra tentorium, ad Helenam oppidum oppressus est, cùm Imperasset annos XII. vixisset paulò plus XXX.



Quid faciat? magnis certè virtutibus auctus
Eximium poterat promeruisse decus.
Morosum morbus, aliisq; sibiq; molestum
Effecit, causas insidiisq; dedit.

CAEDEM fratris vlturus, ingenti exercit aduersus Magnentium comparato, ingen illum prælio & memorabili, ad Murtium fudi quo Romani vires Imperij penè concidere, LII millibus vtrinque desideratis. Gallum inde à antea dictum Cæsarem ferocientem, & insole scentem supra Cęsaris nomen, interfecit: & cor tra Persas infeliciter conflixit militum suoru stultitia. Quibus ad sua abeuntibus, quæ Mass getæ vastabant, dum Romam inuisit, Iulianu Galli fratrem, treis & viginti annos ætatis ager tem, Cæsarem à se factum, in Gallias aduers Alemannos eas vastantes misit: Ipse in Pers iterum contendens, dum ægrè ferret Iulianu à militibus Augustum esse dictum, apud Mo psucrenen iuxta Tauri montis radices æstuai tissima febre decessit. Vixit annos XL. Imp tauit XXIIII.



Fraternæ cædis Constantius inclytus vltor
Cum Persis gessi plurima bella diu:
Sorte quidem hoc varia: verùm plura ardida
Cepta mihi cursu præpedit in medio. (febris


OBSCVRIS in Gallia parentibus natus, à Constante enutritus, in tantumque ob virtutem bellicam ab eo adamatus fuit, vt exorto in Illyriis tumultu, cùm iamiam à militibus occidendus esset, Imperator eum paludamento obtexerit, atque seruauerit. Gratitudinis loco, quam suo seruatori debebat, Constanti dolos rependit; eoque interfecto Imperium vsurpauit. Veniens in Italiam cum exercitu, Mediolani fratrem suum Decentium Cæsarem fecit: quem trans Alpes, ad tutandas Gallias misit. Ipse cum Constantio, qui fratris cædem vlciscebatur, ad Murciam cōgressus, magna clade superatus est. Collectis exercitus reliquiis, cùm pacis conditiones frustra per legatos tentasset, & Ducis tantùm titulum petiisset, iterum cum Constantio conflixit. Victus Lugdunum aufugit. Vbi gladio transfosso latere, ictum pulsu parietis iuuans, mense Imperij XLII. ætatis anno quinquagesimo exspirauit. Vir legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidi: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem.



[A]ssumo Imperij titulos, Constante peremto.
Actutum vltorem sed scelus istud habet.
[N]imirum ipse mihi, instigãte cupidine sceptri,
Quæsiui exitium Principis exitio.

DECENTIVS.

MAGNENTII is frater, vel ob rerum cum laude gestarum paucitatem, vel ob temporis, quo ad eum dignitatis gradum vocatus fuit, breuitatem, nihil habet in vita memorabile. Mediolani à fratre Cæsar creatus, ad tuendas Gallias cum exercitu trans Alpes missus est. Simu vt nuncium accepit de miserabili fratris interitu, partim vitæ huius tædio, partim metu, ne ir manus eorum qui à partibus Constantij sta bant, perueniret, laqueo fasciç ad collum posito semetipsum apud Sennonas strangulauit.



Fortunam, toties bello quam frater iniquam
Sensit, frustra iterum sollicitare velim.
Quin moriar. certè hoc meritum mihi debeat hostis,
Illi me facilem sponte dedisse viam.

LXXIII. FL. CL. IVLIANVS.

CONSTANTIO extincto, Iuliano facilè cuncta cessere Puer hic ingenio sublimi, callido, & literarum ardentissimo, Gallias sub primum accessum præter omnium spem, Alemannorum incursu vastatas asseruit, regemque eorum cepit: inde Augustus à militibus salutatu. Parisiis, mortuo (vt dixi) Constantio, aduersu quem bellum ciuile parabat, Persis, adepto Imperio, bellum indixit: vbi dum inconsultius agit Persæ viri dolo in deserta cum exercitu ductus conto traiectus periit. Sunt qui sagitta è cœl missa vulneratum dicant. Vnde in nefariam vocem erumpens, Vicisti Galilæe (sic enim Christum appellabat) occubuerit. Christianos impi quodam odio adeò insectatus, vt studia, & militiam hisce interdixerit: plerosque præmiis, & illecebris, quasi machinis à vera pietate auerterit. Quinetiam Imperator (ita Deo visum) aduersus nos libros edidit: Ille verò si ingeniun indolemque egregiam ad verā pietatem, quai puer imbiberat, conuertisset, inter egregios prin cipes adnumerari potuit: decessit annos ager alterum & trigesimum. Solus annum vnun menses treis imperauit.

Om



Omnes hîc unâ heroas sub imagine cerne,
Vnum commaculet ni malè cuncta nefas.
Is verò infaustum est virtutibus inclytus, uno
Qui tantùm infamis dicitur à scelere.

HVIC Varronianus pater, Pannonia patria, staturæ proceræ, ingenij amœni, nec à literis abhorrentis: qui à militibus primò Imperator salutatus, deceptis similitudine nominis, quasi Iulianus reuixisset, cum Persis, quòd commeatus deficerent, consumtis aliquot diebus, pacem magis necessariam, quàm honestam, Transtigritanis prouinciis quinque amissis, iniit. Accessit nouæ ignominiæ dedecus grauius: vetitus Imperator Roman. Arsaci socio opem ferre. Periit octauo Imperij mense Dadastanis oppido, dum cubiculũ ingreditur noui tectorij, prunis etiam ardentibus, siue, vt alij, stomachi cruditate, XXXIII. ætatis anno.



Cùm me dura fames premeret, non arma; nec
Verùm aliter fuerat expediēda via. (armis,
Quare non victus à non victore redemi
Effugium. haud vinci vincere namq; reor.

DEDIT & hos Pannonia principes Gratiano patre ortos: primùm Valentinianum ab exercitu Niceæ, inde Valens ab eo Augustus, imperiique consors dictus: qui Procopium temere imperium inuadentem, Constantinopoli oppressere. Inde Gotthi, & barbaræ nationes à Valentiniano Thracia exturbatæ, Septentrioq. omnis cum Saxonibus ad officium eiusdé opera redacti. Burgundionum LXXX. millia cæsa. Parthi è Syria per legatos eiecti. Inquieta Germania Theodosij maioris auspiciis pacata. Ipse dum Quadorum legationem latrocinia excusantem audit, subito morbo venis arefactis, vt sanguis mitti nunquam potuerit, obiit Gratiano filio prius August. appellatione donato, imperij accepti anno XI. mense VIII. die XX. vitæ LV. Vir vultu decens, politioribus studijis deditissimus.

Quòd



Quòd summè fuerim studiis addictus amenis
Forteañ imbellem Martia ad acta putes.
Non equidem. Burgundionum testabere contrà
Victa acies, contrà Saxonicaq́ manus.

POST fratris interitum, Arrianæ factionis fautor, dum aduersus Scythas & Gotthos prælium ferocius, quam cautius ciet, victus ab his acie, vitam, imperiumque amisit, igne intra tugurium, in quod confugerat, iniecto. Digni imperio fratres, & inter bonos referendi, nisi Valens Arriano delirio virtutes egregias inquinasset.



Speraram superesse meæ post prælia cladi:
Sed nimis hostilis vrsit vbique furor,
Incenditq́; casam, profugum qua exceperat, istæ
Insimul & mortem contulit atque rogum.

HAVD ſanè improbandum principem numina terris dederant, ſi quantum literis & militari diſciplinæ vacabat, ac venationibus, tantum curæ ad rempub. cognoſcendam impendiſſet. Nam pietate in ſuos egregius, Valentinianum adhuc puerum Aug. dixit, patre, patruoq́ue extinctis. Mox Theodoſium Hiſpanum conſortem imperij adſciuit. Apud Argentarium opidum Galliæ, triginta Alamannorum millia extinxit. Verùm dum ſpicula tantùm, & arcus meditatur, dum Alanum militem Romano præfert, Maximi ducis inſidiis circumuentus periit, cùm Imperaſſet cum patre annos octo, cum patruo treis, cum Theodoſio IIII.



Terdena auſpiciis Alamannûm millia noſtris
Cæſa, mei eximiam ſpem ſpecimenq́; dabant.
Verùm exinde ſatellitio confiſus Alano,
Romanis cepi diſplicuiſſe meis.

LXXVIII. MAGNUS MAXIMUS.

Ex prosapia Constantini Magni oriundus, vir peritia rei militaris clarus, Romani exercitus dux strenuus, ab eodem in Britannia, quòd Gratianus militibus inuisum se reddidisset, imperator electus, Gallias ex improuiso adortus est. Gratiano per insidias oppresso, ingenti cum exercitu in Italiam properauit, cupiens Romam in suam potestatem redigere. Id metuens Valentinianus iunior, de obitu Gratiani fratris certior factus, cum matre Iustina Constantinopolim profugit, & generi sui Theodosij opem auxiliumque implorauit. Is insperatò per Alpes inuias, Aquileiam, vbi tunc Maximus degebat, cum exercitu veniens, Maximum à militibus captum, vinctum, sibique traditum, interfici iussit.

Oppor



Opportuna dolis incuria Principis inde
Planum iter ad ſedem fecerat Imperij:
Hinc verò alterius virtus præclara fideſq;
Factum & tentatum punit vtrumq; nefas.

LXXIX. VALENTINIANVS IVNIOR.

VALENTINIANI Imperatoris ex Iuſtina filius, à Gratiano fratre, conſors Imperij factus, in Italiamque miſſus eſt. Gratiano dolis Maximi interfecto, ſibi metuens, in Illyricum primò, deinde in Oriētem ad Theodoſium confugit. Cuius ope, Maximo ſublato, non modò fratris necem vltus, ſed & Imperij quietem adeptus eſt. Iuſtinæ matris inſtinctu Arrianam perfidiam amplexus, multa contra Chriſtianos molitus eſt, fruſtra eum dehortante Theodoſio. Ex Italia in Galliam profectus, Victorem Maximi filium, quem pater copiis ibi præfecerat, interemit: cumque Viennæ negligentius moraretur, ab Eugenio, olim quidem Grammatico, poſtea verò Tribuno, Arbogaſti Alanorum præfecti fraude pecuniaque corrupto, noctu in cubiculo clam ſtrangulatus eſt: rumorque ſparſus eum ſibi mortem voluntariam conſciuiſſe.



Sic fuit in fatis. euasi vbi fortè priorem,
Protinus excipior proditione noua.
Solatur tamen hoc: sceleri primoq; fuisse
Vindicem, & vltorem mox habiturũ aliud.

HIC Honorio patre, & matre Termantia, haud dubiè inter optimos Principes adnumeretur: quippe qui Remp. Gotthicis armis penè oppressam, accitus ex Hispania (quæ illi patria) à Gratiano, restituerit, Maximum tyrannum & Andragatium præfectum eius subito incursu victos occiderit; Valentiniano Imperium asseruerit; mox Eugenium tyrannum in Valentiniani vltionem sustulerit, non sine Numinis manifesto iudicio: cum multo minoribus enim copiis illi cõgressus, militante illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis, vt poëta eleganter cecinit, victoriam insignem adeptus est. Fuit autem hic Princeps moribus & corpore Traiano principi similis: summa in eo clementia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax, nec à literis alienus, simplicium ingeniorum admirator: pietatis nostræ adeò obseruator vt summa ciuilitate ab Ambrosio antistite castigatum se, adytisq̃ue prohibitum tulerit. Obiit Mediolani ætatis anno L. imperij XI.



Euecti ad quæuis simus fastigia rerum,
In supera tamen est altior arce Deus.
Eius tu Princeps colis inclyte maiestatem:
O verè donum Principis ætherei!

ARCADIVM & Honorium, pueros Theodosius viuens, imperij consortes fecerat: & moriens, quando ætas rerum moli non responderet, treis imperij tutores testamento sanxerat, Arcadio Ruffinum, Honorio Stiliconem commendans. Africæ verò Gildonem præesse voluit. Prior Ruffinus, dum Gotthica solicitat arma, vt imperium metu ab Arcadio extorqueret, perfidiæ pœnas dedit: parique pœna Caianus Ruffini sceleris popularis afficitur: inde mox Arcadius, cum Byzantij regnasset annos ferè XIII. obiit, Theodosio filio relicto. Socordis ingenij Princeps, nec quicquam omnino paternæ auitæque virtutis referens, Eudoxiæ vxori addictus cùm multa alia improbè fecit, tum Chrysostomum Antistitem in exilium misit.



Indignum heredem! Pietate excellit & armis
Decessor: similis tu pecori Arcadico es.
Auriloquo exitium mandas, vxorie, Patri:
Contrà ille obsequium præstitit Ambrosio.

MAIOR rerum moles Honorium Romæ agentem accepit: qui rebellantem Gildonem cum Mascezelis fratris ductu superasset: eundem quoq. Mascezelem rebellem expertus, Bonifacij ductu vicit. At Stiliconis perfidia eò perniciosior, quò occultior fuit. Nam magno nostro dedecore cùm Gotthi Italiam vastassent, vrbemq́ue Romam cepissent, astu Stiliconis rem adiuuante, tandem re ab Honorio cognita, Stilico cum filio sublatus est, qui genere Vandilus, & militaris disciplinæ scientissimus, Honorij etiam socer, si quam operam in perdendo ad Fesulas Radagaso cum ducentis Gotthorum millibus præstiterat, in asserendo Imperio præstitisset: nec Romam Alaricus Gotthorum Rex vnquam cepisset, nec orbem totum cladibus assiduis inuoluisset. Decessit autem Romæ, cùm annos duos & xxx. Imperasset. Et ille fratri similior quàm patri.



Iactabat quõdam Romanam Octauius vrbem
Imperio effectam marmoream esse suo.
Tu contra torpore tuo iactabis, Honori,
Te deuastandam prostituisse Gothis.

LXXXIII. THEODOSIVS IVNIOR.

QVINQVAGINTA quot vixit annos, totidem imperio etiam præfuit. Nam puerum admodum moriens Arcadius eum reliquerat sub tutela Isdigerdis Persarum regis: quod & bene cessit. Barbatus enim rex & tutelam summa fide gessit, & pacem cum Romanis, quoad vixit, habuit. Is verò Honorio defuncto, Valentinianum ex Cōstantio & Placidia natum, data Eudocia filia in vxorem, Romam peropportunè misit: cùm turbatæ res essent tyrannorum libidine, qui rem Romanam inuaserant. Sub hoc tertia synodus contra Nestorium celebrata, Pulcheriæ sororis prudentia: nempe quoad illa est vsus imperator, bene res gesta. Hic vxorem Eudociam Leonis Atheniensis philosophi vxorem duxit: quæ præter egregiam formam, singularemque pudicitiam, etiam literis excelluit, absoluto eo libro, cui titulum Græci ὁμηρόκεντρα faciunt. Hoc principe Venetiæ felicissimis auspiciis mediis in aquis habitare cœpêre, cùm Honorius adhuc viueret.



Deſes, iners, tantoq́ indignus culmine, ſolum
Cæſareos nomen contulit ad titulos.
Interea felix, ſub eo quòd Principe, primùm
Ceu pelago emerſit inclyta res Venetûm.

LXXXIIII. VALENTINIANVS III.

ASSERI fortaſſe in priſtinum ſtatum ſub hoc Principe res Romana potuit, ſi eius inceptis aut fortuna fauiſſet, aut imprudentia poſteà ſua rem non afflixiſſet. Nam recepta ſub aduentum ſuum Italia, cum Genſerico ſtatim Vandilorum rege pacem ſanxit, parte Africæ, vt videri voluit, contento: & aduerſus Attilam Etij ductu, rem feliciter geſſit. Inde Maximi arte, viri per ea tempora potentiſſimi, Etium interimi iuſſit. Vnde in vltionem ipſe poſteà Romæ ab eius commilitonibus confoſſus periit. Hoc principe Occidentis imperium, Francis Gallias, Anglis & Scotis Britanniam occupantibus, Vandilis Africam, & ipſam Vrbem populantibus, Hunnis Europam vexantibus, & Italiam, collapſum funditus eſt. Periit imperij & ætatis anno XXX.

Omnia



Omnia qui vaſtans ferro flammaq́;, flagellum
Attila ſe ſummi iactitat eſſe Dei,
Repreſſus noſtris tandem eſt feliciter armis,
Sicq́; flagellum ipſi fio flagellifero.

LXXXV. FL. VAL. MARTIANVS.


HIC licet humili loco natus, militiæ tamen clarus, Pulcheriæ Theodosij sororis studio rebus præficitur, moderatus princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam diutius viuere potuisset: nam pacem, quoad eius fieri potuit, coluit: illud sæpe vsurpans, Dum in pace esse possumus, arma non induamus. Is Tatianum, Iuliumque fratres, qui olim aquilæ superuolantis eius caput auspicium retexerant, viaticoque ducentorum aureorum inopem, & ægrotantem adiuuerant, statim ut Princeps est dictus, alterum Illyrico, alterum Constantinopoli præfecit. Hoc principe Chalcedonensis quarta synodus celebrata aduersus Dioscorum, & Eutychen Leonis Pontificis Romani iussu. Imperauit annos sex.



Me vel priuatū, pressum quoq; rebus in arctis,
Nunquam, regni omen deseruëre aquilæ.
Peruado tandem, & verum me præfero regem,
Bellaq; solius pacis amore gero.

LXXXVI. LEO AVVS, & LEO NEPOS.

PRIMVS hic Græcanici vir sanguinis imperium tenuit, Aspatis patricij factione adiutus. Cuius etiam filium Cæsarem cùm inuitus creasset, postea cum Ardaburio fratre, vt insidiarum in se authores interfecit: Leonemque ex Atiadna filia, & Zenone filium successorem sibi esse voluit. Is aduersus Gensericum Vandilorum Regem Basiliscum ducem misit: qui, si Zonaram sequare, victus nauali prælio à Vandilis, aufugit, siue illud ignauia, siue proditio fuerit. Byzantium huius imperio magna ex parte conflagrauit, præterquam quòd Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit autem annos XVII. Pacis hic studiosus Princeps semper illud in ore promtum habebat, Quemadmodum sol cunctis quæ illustrat, nonnihil impertit caloris: sic Princeps debet eos sua dignari misericordia, quos contuetur. Leo autem iunior ab auo relictus, cùm annum præfuisset, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, patremque pro se deinceps imperare iussit.



Primus ego Græco obtinui de sanguine sceptrũ:
Nec piget Argolici Principis Æneadas.
Ex æquo nempe vt Sol terrarũ omnia lustrat,
Inq́ꝫ malos lenis, sum pius inq́ꝫ probos.

LXXXVII. ZENO ISAVRICVS.

QVAM variè rebus Romanis illuserit fortunæ vis, hic Zeno facilè cum plerisque, qui explicandi restant Principes, probet. Vir obscurissimi sanguinis, & tùm facie deformis, tùm moribus planè tyrãnicis, vt Isaurum agnoscas. Hic Theodoricum Ostrogotthorum regem cùm vnicè diligeret, in Italiam aduersus Odoacrem misit, Consulem prius à se factum. Pulsus verò à Basilisco factione vxoris, cùm in Isauriam concessisset, non multo post reuersus, & Basiliscum expulit: quem & inedia mori coëgit, & annos XIIII. Tyrannum veriùs quàm Principem egit. Sunt qui viuum adhuc inclusum ab vxore sepulchro tradant, frustràque resipiscentem, & opem quiritantem obiisse. Hoc principe incendium adeò graue fuit, vt præter maximam Vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorum millia combusta sint: inter quæ & Homeri poëma intestino draconis CXX. pedum aureis literis descriptum.



Barbariem partim truculentis moribus ipse
Inducis ; partim casus & accelerat.
Multa exusta quidē te Principe millia librûm,
Irato affirmant imperitasso Deo.

LXXXVIII. FL. VAL. ANASTASIVS DICOROS.

DICORVM hunc cognomento Græci ap pellarunt, à discoloribus videlicet oculo rum pupillis, quarum dextra nigricans, sinistr cærulea fuerit: inter bonos principes vtiq. mil referendus, tametsi ab humili loco ad imperiu euectus Ariadne Zenonis vxoris opera, nisi pc steà mutatus. Eutychianæ hæresi adhæsisse Vnde illi aduersus orthodoxos graue dissidiu conflatum. Bulgarorum arma tunc primùm a dita, & Saraceni Alamandaro duce Syriæ gr ues incumbebant. Hic tyrannorum aliquot s ditione fatigatus, post octogesimum & octauu vitæ annum, imperij vigesimumseptimum, fu mine afflatus periit, vlciscente grauiter Numi pietatem toties ab impuro principe violatam.

Er



Euasisse putas iusti te Numinis iram,
Extremo vitæ in limite decrepitus.
Inuenit ille tamen. moreris nam fulminis ictu,
Etsi iam senior, attamen ante diem.

LXXXIX. IVSTINVS THRAX.

QVIS credat Thracem hominem armentarium, & sues agentem, sine tribu, ignotis obscurisque parentibus ortum & rebus præfuisse, & rem tum feliciter, tum optimè administrasse? Rexit tamen ille summa cum laude, & pietatis studiosissimus veræ. Ioannem Romanum Pontificem ad se legatum venientem, à Theodorico Gotthorũ rege pro Arrianis, quos expulerat Iustinus, restituendis venerabundus excepit: & principatum dolo partum (quippe qui acceptam ab Amantio eunucho pecuniam vt militi pro Theocritiano præficiendo distribueret, in se suffragia verterit) magna virtute postèa administrauit: nono imperij anno Iustinianum ex sorore nepotem, cùm adhuc viueret, sibi successorem instituens: quo facto, non multò pòst obiit.

Qu



Qui primùm rexiſſe ſues, rexiſſe bouesq́;
Aſſuetus, rector nō malus idem hominū eſt.
Nec viles ortus producunt effera ſemper
Pectora, nec contrà mitia nobilitas.

NEPOS Iustino ex sorore, cùm annũ quartum & XL. ageret, imperare cœpit: quod per annos vndequadraginta administrans. veterem Romani imperij gloriam mirum in modum ampliauit. Primùm enim Persas Bellisarij opera intra suos fines continuit: inde eodem duce Romam à Gotthorum seruitute asseruit: Africam imperio pulsis Vandilis restituit: Narsete duce Gotthicum tandem nomen deleuit. Bis triumphatum ex instituto veterum Romanorum de Persis, & Vandilis à Bellisario: Leges infinitis voluminibus antea dispersas in L. Digestorum libros contraxit. Institutionum libros quatuor edidit. Codicem inuulgauit. Maximus certè princeps, nisi auaritiæ, & delirij Eutychiani reus fuisset. Serici vsus è Persis ad Græcos hoc tempore transiit, iampridem desitus.



Cedant arma togæ. poteram per bellica facta,
Structuris poteram ſummũ habuiſſe decus.
Iuridici offuſcat maieſtas Corporis iſtæc
Omnia. tot laudes non bene fama capit.

HIC æmulus Iustini, & vt filius à Iustiniano in regia semper habitus, facili admodum ingenio, atque ad promerendam ex liberalitate hominum gratiam nato primùm fuit. Cum Persis pacem fecit, tributo, quod Romani annuum his expenderent, sublato. Pòst ex liberali auarissimus euasit: simul & fidei Christianæ contemtor maximus, & Pelagianæ hæreseôs assertor acerrimus. Langobardi Germanica gens à Narsete indignato contra Sophiam in Italiam hoc Principe erupere: quam ab Alboïno rege ad Desiderium per CC. & IIII. annos in principatus diuisam tenuere. Obiit graui pedum dolore anno XI. imperij.



Virtutem vitiis mutans, contraria vtrinque
Effecta actutum ſentis inepte ſequi.
Qui lucratus eras mentesq; operáſq; tuorum
Munificus, ſubitò perdis auaritia.

XCII, TIBERIVS SECVNDVS.

TIBERIVS adoptatus à Iustino rem per septennium foris satis feliciter gessit : domi summa cum pietatis & liberalitatis opinione: quod si quemadmodum Persas grauibus afflixit præliis, sic aduersus Langobardos felix fuisset, nihil illo principe fortunatius. Hic à Sophia reprehensus quòd omnes thesauros in pauperes effunderet, respondit, Thesaurisate vobis thesauros in cœlo, & quæ sequuntur. Obiit Mauricio genero successore declarato.



Quàm tibi dissimiles sunt à cognomine mores
Principe, protector maxim e pauperiei!
Congerit ille iterum turpi effundenda nepoti,
Tu largire iterum repperienda polo.

CAP-

CAPPADOCEM hominem virtus, & rei militaris scientia, partaque eius ductu de Persis insignis victoria, imperio facilè imposuit: quod sub initia Persis victis, Scythis afflictis, Langobardis repressis, & Hunnis è patrio solo in solitudines pulsis, feliciter administrauit. Mox auaritiæ studens, cum frustrà Focæ insidias, somnio etiam admonitus præcauisset, dum miles stipendio fraudatus seditiosiùs agit, ab eodem Foca imperio & vita priuatur: cùm imperasset annis XX. vixisset tres & sexaginta: eius etiam omnis prosapia sublata est. Turcaîcum nomen tunc primùm Asiæ auditum.



Inter regalis tanta irritamina pompæ,
Multa in rege bono dissimulanda mala,
Virtutum at nullæ, Princeps nō praue, tuarum
Eluerint maculam turpis auaritiæ.

ADEO

ADEO præcipites in malum homines agimur, vt Focas nec Mauritij auaritia admonitus, adepto imperio per Mauritij cædem ab hoc vitio temperarit. Quin longè studiosius colligendæ vndique pecuniæ incubuit, & omnia ex Persicæ seruitutis instituto egit. Hic Romanũ Pontificem principem omniũ declarauit. Cætera adeò socors, & ignauus & frequentibus adulteriis infamis: vt cùm Romanum imperium vndiq. Barbari vastarent, staretque solùm eius nominis vmbra, conspiratum sit in illum ab Heracleona, & Heraclio, & Prisco: qui captum inertissimum hominem prius interfecêre, quàm ferre suppetias eius milites potuerint, omni stirpe principis impurissimi sublatá.



Tam verò facilè tu decessoris auari
Immemor, ipsus idem proruis in vitium?
Sic tibi ceu patuit alieno crimine regnum,
Huc aliis parili crimine pandis iter.

LABENTI iampridem Imperio, & prægrauantibus Persarum armis, Syria cum ipsis Hierosolymis expugnata, Heraclius accepto diademate à Seigio Pontifice, primum omnium Persicum bellum parat: ad quos legatis antea missis pro induciis impetrandis contemtim ab ab his habitus, adeò excanduit, vt differre amplius rem non potuerit. Responderunt enim impij hostes, non prius se Romanis pacem daturos, quàm CHRISTVM abnegasset imperator. Quare ingentibus copiis in Chosroëm ductis, victis eius sæpe ducibus, & cum omnibus copiis cæsis: mox profligato Chosroë, Persideque omni in vltionem nostram igni, ferroque vastata, lignum salutiferæ Crucis recepit. Celebris adhuc est Christianis dies festus, argumentum victoriæ insignis, pacis videlicet partæ, & Tigridis fluuij inter vtrunque imperium termini. Triumphatumque egregiè cruce prælata. Imperauit Heraclius annos XXXI. Nouo morbo genere periit, virili membro semper ita distento, vt quoties meieret, lotium vultum aspergeret, nisi obiecta tabula id prohibuisset. Creditum est, hæreseôs Monothelitarum, in quam inciderat, & nequitiæ supplicium luisse. Hoc tempore Saraceni Maomethe duce caput extulere.


Cuncta



Cuncta triumphantum spectacla superba triumphas
Victricem referens ad pia templa Crucem.
Perdidit hæc Persam victorem, vt scilicet antè
Capta Philistæos perdidit Arca duces.

XCVI. CONSTANTINVS HERACLII.

Hic annum vnum cùm imperaſſet, rectæ ac veræ pietatis cultor, Martinæ nouercæ inſidiis, quæ Heracleonæ imperium aſtrueret, veneno tollitur. Illa verò cùm Imperium malè partum cum filio vix biennio tenuiſſet, à Senatu cum decenni filio expellitur, amputata prius matri lingua, filio naribus.





In ſpes euectum fruſtra ſedéſque paternas
Suſtulit è medio dira nouerca dolis.
Illa ſed exſectâ paulo pòſt improba linguâ
Patrati pœnas perſoluit ſceleris.

XCVII. CONSTANS, & CONSTANTINVS POGONATVS.

CONSTANS ex Gregoria & Constantino proximè relato proles rerum potitur, adnitente Senatu, qui Martinæ scelus execrabatur. Hunc cetera non improbares, si impietatem & auaritiam demeres. Saracenis classe congressus, victus aufugit: quibus pauló pòst dissidio laborantibus, biennij inducijs impetratis Italiam petiit, vt eam à Langobardico iugo liberaret. Sed cùm Romam venisset, victus à Lãgobardis acie, quicquid antiqui operis, signorúmve fuit, intra quintum diem inde sustulit: vt plus ornamentorum paucissimis diebus vrbi detraxerit, quàm Barbari per tot annos. Inde in Siciliam traiiciens, cùm sextum ibi annum ageret, & auarè, & crudeliter tributum exigeret, dolo suorum interficitur, postquàm annos XII. ac XX. imperasset. Meliore orbis fato Constantinus imperium excepit, qui maximus natu relictus à patre Byzantij, vt imperium administraret, audita eius morte, in Siciliam venit: vltusque Mizizium tyrannum, & cædis paternæ conscios, bellum aduersus Sarracenos septem annos, terra, marique feliciter gessit. Imperauit annum septimumdecimum, Iustiniano filio hærede, cùm fratribus minoribus nares amputasset. Pogonatus appellatus, quòd imberbis in Siciliam profectus, barbatus rediisset.

Hinc



Hinc Arabum attriuit, hinc vis Longbardica patrem,
Insuper & propriis dedecorem vitiis.
Filius at melior, patris haud inglorius vltor,
Hinc Longobardos atterit, hinc Arabas.

XCVIII. IVSTINIANVS RHINOTMETOS.

VLTIMVS Heraclianæ stirpis Iustinianus Imperio præfuit, praui vir ingenij, & varij, atque à fide recta abhorrentis. Siquidem synodum aduersus sextam à patre celebratam indixit, bonis omnibus aduersantibus, & in primis Romano Pontifice, quem comprehendi mandauit. Bellum aduersus Arabas, & Bulgaros contra fœdera motum, vtrumque calamitosissimum gessit. Quare & crudelitate etiam in suos inuisior factus, Leontij Patricij, & Callinici Patriarchę dolo deturbatur imperio, atque Chersonam relegatur, nare prius abscissa. Vnde mox fugiens & ad Trebellium Bulgarorũ regem fuga lapsus, eius opera restituitur: Tiberio, qui Leontio successerat fugato, & Callinico Patriarcha luminibus priuato. Illud sæuitiæ hominis argumẽtum traditur, quòd quoties truncas nares emungeret, toties vnum ex iis, qui Leontio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Sexto demum & decimo anno à Philippico pulsus, quem reclamante Constantino Pontifice, acrius insectabatur (venerat autem ad illum Romanus Antistes accersitus, & ab Imperatore honorificentissimè exceptus) vitam & Imperium pariter amisit, sexto anno post exilium, cùm decem ante præfuisset.

Mori



Moribus vt vafer & varius, ſic Cæſar & exſul
Fortunam expertus omnimodo es variam.
Tum verum eſſe doces, Regnare hunc ſanguine multo.
Ad regnum redeat quiſquis ab exſilio.


OCTVAGINTA & ſeptem annos ab Heraclio ad Iuſtinianum in vna gente imperatum, quod neſcio an vlli priorum contigerit, cùm Leontius Iuſtiniano relegato, Imperium ſibi vindicauit: qui claſſe aduerſus Arabas Africam occupantes ingenti parata, cùm infecta re rediret, Imperio expellitur, poſtquàm treis tantùm annos rerum potitus eſſet. Hunc ergo Tiberius captum (ſic enim quàm Abſimarus dici voluit) adepto imperio, naribus truncatum cuſtodiri iuſſit.




Electus qui collapſam bene reſtituas rem,
Impar tam magno proderis eſſe oneri.
Nempe illam quia paſſus iners collabier vltra,
Ipſus Cæſareo laberis è ſolio.

C. Tiberivs Absimarvs.

HVNC claſſis in Creta Imperatorem dixit, qui Heraclium fratrem ſtatim aduerſus Arabas omnia vaſtantes cùm miſiſſet, eius forti opera hactenus repreſſit, vt à noſtris abſtinerent. Inde Philippicum nobilitatis præcipuæ Cherſonam relegauit, quòd aquila caput obumbraſſe videbatur dormienti. Ceterùm ſeptimo pòſt anno cum Leontio captus, à Iuſtiniano interficitur.




Nec



Nec tibi sunt Tiberi rerum commissa guberna
Vel meliore tua sorte, vel Imperij.
Quin verò hæc à te pulso solamina præstas,
Et simul & simili te quoque morte mori.

CI. PHILIPPICVS BARDANES.

NVNQVAM maior Principum impietas, maiórve quod gravius doleas, ſocordia. Quippe hic adeptus Imperium, ſextæ ſynodi decreta altera ſynodo infirmare contendit: gratificaturus monachó, qui imperaturum illum prædixerat, hoc prædictionis præmium petenti. Quare cùm loquentiæ multum huic ineſſet, ſapientiæ parum, opesq. Imperij iampridem congeſtas diſſiparet, paſſus etiam Bulgaros Thraciam populari, priuatus oculis in ordinem redigitur, anno vno, & menſ. VI. vix expletis.





Diſſidiis promtus in relligione ſerendis,
Curam nutantis negligis Imperij.
Dumq́ adeò Synodos, Patrũ & decreta reſcin-(dis,
Threïciis victor Bulgarus inſtat agris.

Hic

CII. ANASTASIVS ARTEMIVS.


HIC adeptus Imperium, cùm optimè quæ ad pietatem rectam attinent, instituisset ex Pontificum assensu, classem ingentem aduersus Arabas in Alexandriam emisit. Verùm classiatiis quibusdam contumaciùs agentibus, qui illum oderant, domum reuersi, Theodosium, ignobilem alioqui virum, Imperio præficiunt: captaque Constantinopoli, monasterio Anastasium includunt, cùm annum vnum, menses tres imperasset.



Quòd iam conſpiceret valida ſtrata æquora claſſe,
Horrebat noſtras gens Saracena minas.
Verùm ipſus, qui mox hoſtē exturbare parabã,
Exturbor, meritus nil minus aut metuens.

CIII. THEODOSIVS ADRAMITENVS.

OBSCVRO licet loco natus, non pœnitendum Imperatorem egisset, si diutius illi per Leonem & Cononem Orientis præfectos imperare licuisset. Verùm cùm Leonem exercitus Imperatorem dixisset, pertæsus belli ciuilis Theodosius cessit Imperio, monasticamque vitam amplexus, satis diu ac felix in ea vixit, cùm annos II. imperasset.





Succedo, nec diu quoq; regnaturus: at illud
Nescio dissimili sorte sit, an simili.
Namque inuitus ego, ille volens, ad sceptra vocamur:
Ille inuitus, ego fio volens monachus.

CIV. LEO ISAVRVS, siue CONON.

OBSCVRITATEM generis (quippe qui apud Isauros natus exercuerat sedētariam) cùm aliis sceletibus, tú verò impietate in Deum ac eius imagines facilè Leo æquauit, vnde illi cognomen εἰκονομάχου, & θεομάχου Græcis, quarum perdendi tantus hominem ardor inuaserat, vt Iudæis duobus gratificaretur, qui illum tantò antè imperaturum prædixerant: vt & Constantinopolitanum pontificem, Germanum nomine, aduersantem, sede extruserit, & Romanum antistitem obsistētem comprehendi iusserit. Saraceni certè ducibus Masgalda, & Solymano Constantinopolim triennali obsidione, terra, mariq̄ue fatigarunt. Verùm peste, fameq̄ue confecti, à Bulgaris etiam sæpe victi, classe magna ex parte igne sub aquis ardenti consumta, paucissimis ex tanto naufragio seruatis, manifestam in se numinis iram sensere. Nec minori interim clade in vrbe sæuitum, trecenta & amplius ciuium millia peste, fameque consumta. Inde Siciliam Sergij præfecti opera rebellantem, ad officium retraxit. Circa finem imperij, quod quartum & vigesimum durauit annum, graui terræmotu Bithynia, Thraciaq̄ue concussa, muriq̄ue Byzātij magna ex parte collapsi, quam rem ille ad priuatum quæstum retulit, tributo ad restituendos muros imposito, vt in singula numismata quatuor & viginti obolos ærario principis inferrent, quod posteà in multas ętates abiit. Hoc Principe Romani pontifices ad Francos primùm respexêre.




Trux genere & factis, infelix casibus ipsis,
Diu tamen augusto præsidet Imperio.
Ergo ludibrio exposuit fortuna tot annos,
Cùm decus id decori haud talibus esse queat.

CV. CONSTANTINVS COPRONYMOS.

IMPIO patri sceleſtiſſima ſucceſſit proles Conſtantinus cognomento Copronymi, quòd infans baptiſmi lauacro admotus, mediis ſacris alimoniæ excrementa aquam polluerat. Is non ſolùm patris impietatem in abolendis diuorum imaginibus reddidit, verùm etiam grauiore ſcelere reliquias eorum aut contemſit, aut combuſſit: quam in numina impietatem immanitas hominis inuiſiorem fecerit, dum nobiliſſimum quenque tollendum è medio curat. Antiſtites certè Conſtantinopolitanos vnum & alterum ignominioſè priùs habitos, & grauiter ad hæc excruciatos, capite plectit. Hic Bulgaricum variante fortuna bellum terra marique geſſit. Artabaſdum primæ nobilitatis hominem Imperatorem ab orthodoxis creatum, poſt biennium à ſe captum, oculorum vſu cum liberis priuat. Grauiſſimam hyemem, vti Pontus, Boſphoruſq. ipſe Thracius perglaciauerit, expertus, poſt infinita flagitia exquiſitiſſimo cruciatu conſumtus obiit imperij anno XXXIIII. duobus menſibus minus.


Hoc



Hoc bene. non falles. esto fœdúsque ferúsque,
Iam tum monstrasti sic fore namque puer.
Nempe habeat quoq; stercoreũ respublica regẽ,
Qui baptismi infans stercore fœdat aquas.

CVI. LEO QVARTVS.

NON Imperij solùm, sed paterni sceleris heres, aduersante matre Bulgarici sanguinis pientissima, successit Leo, qui ad impietatem, sacrilegium etiam addiderit. Nam coronam à Mauricio Principe Deo dicatam, nefario capiti imponens, captus gemmarum & auri splendore, breui pœnas luit: caput enim impium carbunculi apostemate statim intumuit: tandem ardentissima febri subsecuta, impium spiritum nefarius exhalauit, imperij anno vno.



Nomen



Nomen aui referens, tum mores patris auique,
Non me praesto malo degenerem generi:
Templa Dei, & sacras spoliare paratior aras,
Quàm depellendis hostibus Imperio.

CVII. CONSTANTINVS & IRENE.

REDDITVS tandem his Principibus veteri religioni suus nitor, reddita vetus pietas Irenes matris opera: quæ Attici sanguinis, forma insignis, sed probitatis opinione insignior, Leoni nupserat. Quare conuentu trecentorum & L. patrum Niceæ indicto, quæ septima synodus habetur, templis, diuisq. suæ restitutæ sunt imagines. Nec multò pòst tamen Constantinus iam adultus matrem haud amplius passus, Imperio deiicit, eiectam in ordinem redigit, Nicephorum imperatorij & ipsum stemmatis, in quem suffragia multorum tacitè inclinabant, oculorum & linguæ vsu priuat. Et ne quid sceleris deesset, Maria vxore monasterio obtrusa, Theodoram concubinam inducit matris consilio, vt filium inuisum omnibus faceret. Vnde mox rerum sola potita, filium in potestatem redactum excæcat, eadem die qua sexto antè anno Nicephorum ille eodem supplicio affecerat: ipsaque non multò pòst à Nicephoro pulsa, in Lesbum insulam relegatur. Huius imperio, quod fuit cum filio annorum x. Carolus à Leone Romano pontifice Imperij corona donatur, virtutis & pietatis ergò.



Dum male cõcordes regnũ lacerántq; trahuntq́;
Filius hinc ſecors, inde animoſa parens;
Interea feſſæ lux & ſpes altera Romæ
Partibus affulges Carole ab Occiduis.

ELENCHVS

IMPERATORVM ROM.

qui post translationem Imperij in Occidente regnarunt.

CAROLVS MAGNVS,
LVDOWICVS PIVS,
LOTARIVS,
LVDOWICVS II.
LOTARIVS II.
CAROLVS CALVVS, II.
LVDOWICVS BALBVS, III.
CAROLVS CRASSVS, III.
ARNOLPHVS,
LVDOWICVS, IV.
CONRADVS,
HENRICVS,
OTHO II.
OTHO III.
OTHO IV.
HENRICVS CLAVDIVS, II.
CONRADVS II.
HENRICVS NERO, III.
HENRICVS IV.
RVDOLFHVS
HENRICVS V.

LOTA-

LOTARIVS III.
CONRADVS III.
FREDERICVS BARBAROSSA
HENRICVS VI.
PHILIPPVS III.
OTHO V.
FREDERICVS II.
RVDOLPHVS II.
ADOLPHVS
ALBERTVS
HENRICVS VII.
FREDERICVS III.
LVDOWICVS V.
CAROLVS IV.
WENCESLAVS
RVPERTVS
SIGISMVNDVS
ALBERTVS II.
FREDERICVS IV.
MAXIMILIANVS
CAROLVS V.
FERDINANDVS
MAXIMILIANVS II.
RVDOLPHVS III,

ELENCHVS

IMPERATORVM

Qui post translationem Imperij in Oriente regnarunt.

NICEPHORVS.
STAVRACIVS.
MICHAEL CVROPALATES RANGABE
LEO ARMENIVS.
MICHAEL BALBVS.
THEOPHILVS.
MICHAEL THEOPHILI.
BASILIVS MACEDO.
LEO BASILII PHILOSOPHVS
ALEXANDER BASILII.
CONSTANTINVS LEONIS.
ROMANVS LECAPENVS.
ROMANVS IVNIOR.
NICEPHORVS PHOCAS.
IOANNES ZIMISCES.
BASILIVS.
CONSTANTINVS.
ROMANVS ARGYROPYLVS.
MICHAEL PAPHLAGO.
MICHAEL CALAPHATES.
ZOE.

THE-

THEODORA.
CONSTANTINVS MONOMACHVS.
MICHAEL SENIOR.
ISAACIVS COMNENVS.
CONSTANTINVS DVCAS.
EVDOCIA & FILII.
ROMANVS DIOGENES.
MICHAEL PARABINACIVS.
NICEPHORVS BOTANIATES
ALEXIVS COMNENVS.
IOANNES CALOIANES.
MANVEL.
ALEXIVS.
ANDRONICVS COMNENVS.
ISAACIVS ANGELVS.
ALEXIVS FRATRICIDA.
ALEXIVS ISAACII.
BALDVINVS FLANDER.
HENRICVS.
PETRVS ANTISIODORENSIS
ROBERTVS.
BALDVINVS.
MICHAEL PALÆOLOGVS.
ANDRONICVS.
MICHAEL.

ANDRO-

ANDRONICVS IVNIOR.
IOANNES PALÆOLOGVS
IOANNES CANTACVZENVS
MANVEL
IOANNES
CONSTANTINVS.

FINIS.

STC Dutch 177 135—

4–O8
112 ll
cpl.
(of)
107 woodcut
medallion
portraits